

Erste Beilage.

Urkunden.

I.

Der Cardinaldiacon Petrus Sti. Georgi ad velum aureum verkündet der Commune Bologna den Tod Kaiser Friedrich II. (1250).

Inextimabile donum leticie quod nuper sue sponse contulit rex celestis actor vobis ut pote precipuis filiis precipue volumus esse notum ut sponso venienti mirabiliter de superius novo cantico et dignis preconiiis assurgatis. Ecce quidem per litteras Apulie prelatorum et nuncios accepimus specialiter quod Fridericus depositus tenebrarum olim princeps a domino virga ferrea et potenti brachio visitatus pridie idus decembris apud Capuam naturale universe carnis persolvens debitum expiravit cuius corpus ad partes Siculas est delatum et in Panormitana ecclesia conditum sepulture. Letentur igitur celi et mater ecclesia cum suis natis innis plaudat angelicis super terram primo quoniam de durissimo Pharaonis imperio est exempta, deinde quia divine benignitatis clementia tantum principem extremum vite claudere in sua nequitia non permisit, qui ad viam rectitudinis de invio revocatus humili corde universis mandatis ecclesie se subiecit.

Ungedruckt. Aus der Rhebigerschen Handschrift des Petrus de Vinea, Elisabethbibliothek zu Berlin, No. 47. fol. 29.

II.

Mandat König Konrad IV., betreffend die Erneuerung des allgemeinen Studiums zu Salerno. Neapel (1253).

Conradus dei gracia Romanorum in regem electus Jerusalem et Sicilie rex. Petro de Casoli gratiam suam et bonam voluntatem.

Noster instanter, quem in subditorum emolumenta dirigimus, soli citatur affectus, qualiter regni nostri Sicilie preclara possessio, sicut rerum ubertate victualium ad dispositionem divini numinis natura profluente tripudiat, sic ad nostre provisionis edictum virorum perfectione scientium, fortuna favente, valeat secundari. Ad quod et si progenitorum nostrorum nos memoranda prioritas invitet exemplis, dum diversarum scienciarum dudum in regno studia floruisse comperimus et multos artis beneficio litteralibus monimentis prouectos ad ardua, quos nativa ruditus honoris et glorie reddidisset indignos, sic nos super hiis priorum tempora reviviscere volumus ut que per intervalla quantalibet iam videatur passa dissidiam sub iuventutis nostre primordiis similiter juvenescant: ac fideles nostri regnicole dum paratam sibi mensam propinationis inspexerint non solum super vacuum sibi reputent aliena que proinde flagitarunt suffragia, sed gloriosum existiment exteros alios ad gratitudinis huiusmodi participium evocare. Cumque civitatem Salerni antiquam profecto matrem et domum studii, tam marine vicinitatis habilitas quam terrene fertilitatis utilitas reddat tanto negotio congruentem, generale studium in civitate ipsa mandavimus reformari, ut quam localis ammenitas rerum placiditate gratificat, docentibus et addiscentibus undique collecta comoditas efficiat graciousam. Te igitur quem antique fidei prescripta sinceritas et prestita dudum felicis memorie domino patri nostro grata servicia nobis efficaciter recommendant de cuius et scientia cognita et doctrina in conspectu nostro iam pluries multorum testimonia claruerunt ad celebranda communionis eiusdem testiua solennia hilariter providimus invitandum, fidelitati tue mandantes quatenus de favore et gracia nostra securus, ad civitatem ipsam ob reverentiam maiestatis nostre personaliter rectorus accedas. Et ut certam concipias de gratie nostre liberalitate fiduciam, firmiter tenere te volumus, quod in adventu tuo in signo secundioris auspicii, de volore annuo XII unciarum auri nostra munificencia providebit. Datum in obsidione Neapolis.

Aus der Rhedigerschen Handschrift des Petrus de Vinea, Elisabethbibliothek zu Breslau, No. 47. fol. 28 a. Als Mandat Kaiser Friedrich II. mit einigen Abweichungen bei Huillard-Brèholles, Hist. diplom. Frider. II. P. II, p. 449.

III.

König Konrad IV. meldet der Commune Siena die am Nachmittage des 10. October erfolgte Uebergabe der Stadt Neapel (1253), October, (Neapel?).

Corradus dei gratia Romanorum in regem electus semper augustus Jeherusalem et Sicilie rex capitaneo communis et populi Senensis fidelissimo eidem consilio et communi gratiam suam et bonam voluntatem. Felicium nostrorum successuum expectata iamdiu nos nova letificent; iocunde relationis offitio nostris desideriis occurrentes, ad noticiam vestram tenore presentium deducimus quod civitas Neapolitana que hactenus erroris obducta caligine a fide nostri culminis deuiarat, victoriosi nostri exercitus mole depressa, dum velut mater languens spectaret continuo miserabilem interitum filiorum, die decima presentis mensis octobris circa vespas ad beneplacita nostra rediens maiestatis nostre se commisit arbitrio preparata subire sententiam qua eam decrevimus feriendam. Nos autem qui ex affectione parcendi clementiam nobis familiarem effecimus eligentes misereri potius quam ulcisci, ciuitatem eandem ad plenitudinem nostre gratie recepimus, proscriptis de regno nostro capitaneis factiosis, qui eam rebellionis precipitio deduxerant, subtracta etiam civitatis predictae corona murorum, quos in signum rebellionis decrevimus diruenda; hec fidei vestre ad gaudium nuncianda providimus ut cum post hec superstitum in regno nostro rebellium facile sit radicitus extirpare reliquas, ne pungens urtica in pomerio nostro violaria violet et ne placiditatem quietis bellice solitudinis aculeus inquietet, una nobiscum de tam festiuis successibus exultetis.

Ungedruckt. Aus Cod. Manusc. Bibl. R. Taurinensis Athenaei. Vol. 38. 184. antica classificaz. E. 11—13, mitgetheilt durch Herr Claretta zu Turin. — Angeführt von Berk, Ital. Reise, S. 385 und Dönniges, Gesch. des deutsch. Kaiserthums I, S. 316.

IV.

Privilegium König Konrads IV. für die Stadt Calatagirone. Foggia. 1254. Januar.

A. C. 1254. A questo Re inviò la città di Calatagirone i suoi ambasciatori in Italia, e tanto se ne compiacque Corrado, che a riguardo ancora della fedeltà, de' servizi e de' meriti non interrotti e

sibiti a lui, ed a suoi serenissimi Antenati per pocomen di due secoli, confermolle con ampio privilegio dato in Foggia nel Gennaio dell' Anno 1254 quarto del suo regno le Baronie di Judica e Fetanasimo, cioè S. Pietro secondo il tenore de' Privilegj de' Re Guglielmo Primo ed Arrigo Sesto.¹⁾ Il cui principio è questo:

Conradus D. G. Romanorum in Regem electus semper augustus Hierusalem et Siciliae Rex. Per praesens privilegium etc. ...

Calatagironi Fideles nostri per certos nuncios ad nostram Excellentiam destinatos supplicaverunt

ed oltre de' servizj fatti all' Imperadore suo padre, ne accenna i propi. Quali poi sieno stati questi servizi, che la città di Calatagironne fece al Re Corrado, non ne résta memoria. Onde stimiamo, che il souvenimento sia stato in danaro; ò pure ancora di soldatesche, e marinai nella squadra delle galee, che il regno inviò alle spiagge di Napoli, per ridurre quelle provincie all' ubbidienza reale:

Nos autem — dice il re — attendentes fidem puram et devotionem sinceram hominum ipsius, considerantes quoque grata et accepta servitia, quae Divo Augusto Domino Imperatori Fiderico patri nostro clarae memoriae ab Gualterio de Ocrea Siciliae Cancellario.

Aus Francesco Aprile, Cronologia universale della Sicilia 1725, p. 123, aus lib. I. Privil. Civ. Calatag. fol. 62.

V.

König Konrad IV. meldet, im Begriff, das Königreich Sicilien zu verlassen, die Einsetzung des ihm treu ergebenen (Berthold von Hohenburg?) zum Generalvicar desselben (1254).

Conradus etc. Comiti etc.

De corrupti parentis primi convitio tantam retinet hodie lesa posteritas corruptelam ut facta iam quasi domestica cuilibet licentia

¹⁾ Aprile p. 109 giebt folgendes Excerpt aus dem Privileg Kaiser Heinrich IV. vom Jahr 1197: Concedimus et confirmamus una cum dilecta nostra consorte Constantia Romanorum Imperatrice serenissima et semper Augusta omnia iura ipsorum et bonas consuetudines, quas a tempore regis Rogerii usque ad obitum Secundi regis Gulielmi f. m. habuerunt. Insuper eis concedimus, quemadmodum dilectus delegatus noster Bonifacius Marchio Montisferrati nostra, qua fungebatur, legatione, et autoritate illis indulset, sicut continetur in privilegio quod habent a rege Gulielmo.

delinquendi semper ad consensum nequitie prona sit humana conditio et per viciorum lubricum cottidie corruat in excessum. Et sic homo, quem rationis participem providentia divina creavit a sue diffinitionis ordine quodammodo discoherens, tante cupiditatis errore seducitur, ut voluntate secum et ratione pugnantibus dum inter bonum malumve disiudicat vix etiam eligat quod discernit. Cuius effrenos modus et impetus non iustitie rigor opprimeret et secularium auctoritas potestatum, suum (?) pacis dulcedo amitteret et arbitrii communis abusio societatis humane federa violaret. Cumque ad hoc specialiter leges et arma convenerint, nos, qui ad subditorum nostrorum regimen superne disponere vocati, hec et illas debemus in subditis et possumus exercere, continua reddimus cordis anxietate solliciti qualiter utrorumque promixtis officiis et in gladio iuste puniamus obnoxios et potenter in plena iustitia pacificos foveamus. Verum cum per individuitatem persone simul et semel ubique praesentialiter nostra serenitas adesse non possit, ut noscant subditi longas regibus esse manus viris industriis, qui maiestatis nostre praesentiam repraesentent confidenter comittimus vires nostras. Cum igitur post salubrem et quietam dispositionem regni nostri Sicilie iam circa negotia Italiae suscitare velimus praecipue curas nostras, ecce de experta fide, nota industria et solita circumspectione R. (B) plene confisi, qui ex officii nostri debito iura imperii manutenere tenemus pro viribus et augere, ipsum generalem vicarium ipsarum partium de latere nostro duximus dirigendum. Concedentes eidem merum et mixtum imperium et gladii potestatem et ut in facinorosos animadvertere valeat, ac in eos praecipue, qui stratas et itinera publica temerariis ausibus praesumpserint violare. Promisimus, quod sibi et plenam contulimus facultatem, ut tam criminales quam civiles audiat et determinet quaestiones, quarum cognitio, si nos praesentes essemus, ad nostrum iudicium pertinerent. Decreta itaque interponat, quae in alienationem rerum ecclesiasticarum et minorum interponi secundum iustitiam postulantur. Et ut maioribus et minoribus, quibus universalia iura succurrunt causa cognita prout iuris fuerit restitutionis in integrum beneficium largiatur, ad cuius etiam audientiam appellationes deferri volumus, quas a sententiis ordinariorum iudicum et eorum omnium, qui per iuris dictionem ab imperio nacti sunt infra partium predictarum terminos contigerit interponi, nec forte causae implicitas (?) vel appellationum numerus subsidium adimat appellandi. Creandique notarios, dandi tutores et curatores et demum omnia plenarie exercendi, que ad merum et mix-

tum imperium spectare noscuntur praedicto vicario plenam concessimus potestatem. Quocirca devotionem vestram requirimus et hoc attente firmiter praecipiendo mandantes, quatinus in omnibus et singulis, que ad ipsius vicarii officium spectant, noscuntur devote parere et efficaciter intendere studeatis.

Ungedruckt. Mss. der K. Bibl. zu Paris, Epist. 8567. fol. 79 b, 80 a.
Mitgetheilt durch Herrn Dr. Geiger.

VI.

König Konrad IV. beklagt sich über das langsame Rechtsverfahren eines seiner Beamten gegen zwei Mörder.

Conradus etc. fideli suo.

Te redargutionis et culpae non vidimus nota carentem, dum contra B. et L. qui homicidium sub umbra nostri nominis commisisse dicuntur, tam lente, tam segnitur audivimus processisse. Sequitur igitur, ut dum maleficiorum excessus hic iusti praesidis rigore non stringitur, viciosa iam pene remissio nutritiva sit criminum, facinorosis ex hoc enormis crescat audacia et liber quodammodo transitus violencie praebeatur.

Ungedruckt. Mss. der K. Bibl. zu Paris, Epist. 8567. fol. 92 a.
Mitgetheilt durch Herrn Dr. Geiger.

VII.

Eingang eines Schreibens König Konrad IV. in Betreff der Aquinaten.

Conradus etc.

Spontanea meditatione pensantes, quod sicut ex impia distinctione domini devotionis ardor turbatur in subditis, sic humanitatis tractatione benivola fidei vigor et servitorum nutrimenta coalescunt, plena inter nos consideratione praehabita, quod vos homines civitatis Aquini etc.

Ungedruckt. Mss. der K. Bibl. zu Paris, Epist. 8567. fol. 93 a.
Mitgetheilt durch Herrn Dr. Geiger.

VIII.

Mandat König Konrad IV. in Betreff der Beaufsichtigung der Beamten.

Conradus fidelibus suis per Nicolaum de Rocca.

Sepe contingit quod dum processus et gesta nostrorum officialium ignoramus bene meriti secluduntur a praemiis et obnoxii eximuntur a penis. Sicque subditorum nostrorum fides ex nostre retributionis subtractione minuitur et ex impunitate scelerum augetur obnoxii materia delinquendi. Ut igitur processus vestri, quos ad oculus videre non possumus, nobis relatione veridica reserventur, fideles nostros . . super visitandis officialibus nostris regionis ipsius et super singulorum processibus sagaciter exquirendis ad partes specialiter providimus destinandos, fidelitati vestre mandantes, quatinus super omnibus, que ad eorum officium spectare noscuntur prout in literis commissionis ipsorum plenius continetur, eisdem devote parere et efficaciter intendere studeatis.

Ungebrucht. Mss. der R. Bibl. zu Paris, Epist. 8567. fol. 106 b.
Mitgetheilt durch Herrn Dr. Geiger.

IX.

König Konrad IV. an den König von Navarra, auf dessen Unterstützung er in Rücksicht auf ihre Verwandtschaft und die demselben vom Kaiser Friedrich II. erwiesenen Wohlthaten zuversichtlich rechnet.

Conradus Illustri Regi Navarre.

Invitat nos antiqua patris nostri dilectio erga vos dudum habita de vestra speciali dilectione confidere et vos ad succedentium serenitati nostre processuum participium evocare. Scimus enim ut non improperando praeterita, sed suaviter referendo loquamur, quid adhuc in teneris annis nobis sub matris regimine positus eiusdem genitoris nostri continua sollicitudo non defuit, quin potius arduis imperii tunc et Germanie negotiis intermissis causam vestram viriliter assumpsit in propriam et contra persecutorum suorum incursus per restaurationem vestrorum iurium multis perpetuis laboribus ac rerum impendiis laboravit, propter quod vos nobis tam carnis unione convictos quam specie necessarie gratitudinis obligatos, nova de nobis

libenter audituros felicia credimus et in cause nostre subsidium paratos inveniri. ¹⁾

Ungebrudt. Mss. der R. Bibl. zu Paris, Epist. 8567, fol. 110. — Mitgetheilt durch Herrn Dr. Geiger.

X.

Testament König Konrad IV., 1254, Mai, Ind. XII.

Cum in se habeat humane nature condicio et universaliter teneat tam in iuvene quam in sene quod quandoque divine maiestati placuerit vitalem spiritum quem inmisit in homine iuxta sui dispositionem arbitrii liceat revocare, expedit reges orbis et principes et quoslibet alios orthodoxam fidem catholicam excolentes sic metas et terminos dierum suorum sollicita pensacione attendere sicque semper esse paratos ut exuto carnis ergastulo et digni inveniantur ex opere et eorum discreta et laudabilis vita post mortem nec non et dispositio salutaris sero viventibus fidem faciat et sit presentibus laudabile testimonium et utilis memoria futurorum. Inde est quod nos Conradus divina favente clemencia Romanorum in regem electus semper augustus Jerusalem et Sicilie rex casum humane nature ante mentis nostre oculos revoluentes licet infirmitate gravati sani tamen mente lingua et memoria compotes etc.

Breslau, Hbediger. Ms. No. 47, fol. 32^a. — Gedrudt Mon. Germ. Leg. II, 361.

XI.

Fragment eines Manifestes König Konradins an die Italiener, sich für seine bevorstehende Ankunft gerüstet zu halten, um mit ihm die unrechtmäßigen Besitzer des Königreiches Sicilien zu vertreiben (1267). ²⁾

Der Anfang fehlt. mortuorum corpora sepelliri, sed potius dimiserunt avibus feris et bestiis devorari, de quo celum pallescere, terra tremere debuerunt, ac solis radiis nube tegi. Cum igitur ad partes

¹⁾ Hiermit endet Blatt 108; es folgt in der alten Signatur gleich fol. 110 mit den Worten: expectatione munerum a communis fructu iustitie me prohdolor gloriantur exclusum, die jedenfalls nicht zum Vorhergehenden gehören.

²⁾ Seitdem mir das ganze Fragment vorliegt, kann ich es nicht, wie ich gethan habe, auf Konrad IV. beziehen.

vestras venire disponam, potentia violenta et nutu divino Alamanie principes in mei favoris suffragio potentissime sint parati, ad regnum recuperandum Ytalicorum honorem et Alamanie dignitatem, fidelitatem vestram monendo requiro, quod in adventu mei solliciti ac attenti auctore domino taliter existatis, quod mecum principes recipiantur a vobis, et alii singuli venientes, vos autem equis et armis ita paratos valeam invenire magnifice, quod videatur nostra sopita potentia vigilare, et quod assolet diutius non dormitet, sicque possidentes agrum Sicilie regni mei et usurpantes indebite aliena, corrigantur in eorum excessibus prout decet. Nempe si divinam nequeo effugere ultionem nullatenus est mirandum, cum hiis quibus sunt divina per scripturam commissa, non solum sufficit, quod mihi regnum Ytalie subtraxerunt, sed conatur *assidue, addicere* mala malis et iniurias iniuriis contra me anathematis sententiam fulminantes, quod enim peccaverim, deus novit ignoro, nec quod culpam aliquam ministeriis dei et ecclesie commisserim, nulla me conscientia reprehendit, verum ex quo in Urbe non invenio auditorem qui inter dexteram et sinistram iustitiam et iudicium ventilaret, appellare alta promoveor voce, coram illo cuius sunt sententie finaliter iudicande. Dum eiusdem tam iniqui processus appellatio et querimonia non auditur.

Ms. Bibl. Taurin. fol. 70. — Mitgetheilt durch Herrn Claretta zu Turin. Gedruckt bei Dönniges, Gesch. des deut. Kaiserthums I, 335.

XII.

Manfredi nimmt als General-Bajulus des Königreiches Sicilien die zum Gehorsam zurückgekehrten Bewohner von Calatagironi wieder zu Gnaden an. 1256 März.

Manfredus Divi Augusti Imperatoris Filius D. G. Princeps Tarentinus... in regno Siciliae Bajulus Generalis.

Cordi nostri est etc. Per presens igitur privilegium notum facimus, quod homines Calatagironi ad regiam fidem et nostra beneplacita redeuntes in sinum Regiae gratiae et favoris nostri recipimus: remittentes eis culpas omnes et offensas, quas hactenus propter malitiam temporis contra regiam maiestatem et nostram magnificentiam tam in dirutione castri ipsius terrae, quam in captione et occupatione animalium Massariae Curiae, quae ibi fuerat ac in omnibus aliis excessibus visi sunt commissi. Abolentes ab eis omnem notam in-

famiae et poenam, quam exinde incurrere meruerunt. Promittentes nos etc.

Aus Franc. Aprile, Cronologia universale della Sicilia p. 125.
Tom. I, privileg. Civit. Calatagir. fol. 24.

XIII.

Manfredi, Fürst von Tarent, verspricht als General-Balio des Königreichs Sicilien im Namen König Konrad II. dem Dogen Rainer Zeno und der Commune Venedig 50,000 Bisantier, welche Andreolus de Mari den Venetianern abgenommen hat, binnen drei Jahren jährlich zu einem Drittel aus seiner Kammer zu ersetzen, wenn sie in dieselbe gekommen sind, oder aber durch die Erben des genannten Andreolus ersetzen zu lassen, 1257, Sept. St. Gervasio.

Manfredus divi augusti imperatoris Friderici filius dei gratia princeps Tarentinus. Honoris montis sancti Angeli dominus et illustris regis Conradi secundi in regno Siciliae balio generalis sicut patet per privilegium eiusdem domini regis de balio ab eo nobis concessum cuius tenor inferius continetur. Per praesens scriptum notum facimus universis quod nos pro parte domini regis Conradi secundi et nostri promittimus restituere domino Rainerio Zeno dei gratia Venetiarum Dalmatiae atque Chroatae duci quartae partis et dimidiae totius imperii Romaniae dominatori pro se et communi Veneciarum quinquaginta milia bisantiorum quos Andreolus de Mari abstulit hominibus Veneciarum, praemissa tamen inquisitione, si pervenerint ad cameram nostram, quod eos sicut iam dictum est, faciemus restitui iam dicto domino duci et communi Veneciarum per terminos usque ad tres annos a calendis octobris primo venturi in antea numerandos videlicet per quemlibet annum terciam partem dictorum bisanciorum. Etsi non pervenerint ad cameram nostram cogemus ad restitutionem dictorum bisantiorum haeredes praedicti Andreoli per praedictos terminos trium annorum sicut iam dictum est et penitus restituemus praedictos bisancios de camera nostra per praedictum spatium trium annorum videlicet quolibet anno tertiam partem ipsorum bisanciorum, sive facta fuerit dicta inquisitio sive non, si de bonis dicti Andreoli praedictis domino duci et communi Venetiarum non fuerit satis factum. Tenor itaque privilegii de balio nobis a praedicto domino rege concessi per omnia talis est. Conradus secundus dei gratia regnorum Jerusalem et Siciliae rex ac dux Svaviae.

Notum facimus universis praesens privilegium inspecturis quod cum in pupillari aetate constituti regni nostri gubernacula sufficienter gerere nequeamus, ne ob nostrae teneritatis infantiam regni nostri Siciliae praeclara haereditas, rectore aliquo non suffulti, incurrere valeat aliqua detrimenta ut in ipso iustitia vigeat, iura nostra serventur illaesa et status eius pacificus conservetur, deliberato consilio et consideratione diligenti providimus una cum dominis ducibus Bavariae dilectis avunculis nostris aliisque nostris consanguineis et domina matre nostra nobili viro Manfredo principi Tarentini dilecto patruo nostro, de cuius fide prudentia et sufficientia plene confisi, balium ipsius regni nostri usque ad nostros puberes annos committimus, ad cuius manus balium ipsum de iure devolvitur, et eius tutelae personam nostram committimus, si infra haec tempora regnum nostrum praedictum nos contigerit introire, dantes ei auctoritatem liberam et generalem amministrationem in ipso regno nostro tam de demaniis nostris omnibus quam comitatibus, baroniis, possessionibus omnibus quas ambitus ipsius regni concludit, nec non et massariis, mobilibus aliis omnibus ad nos spectantibus quam nos gereremus in eodem regno, si personaliter adessemus, collationes civitatum, castrorum feudorum, obligationes, absolutiones, pacta et compositiones quascumque fecerit, quae nos possumus vel poterimus facere, rata et firma habemus tamquam si nos ipsi ea personaliter fecissemus et promittimus semper inviolabiliter observare. Et ut hoc privilegium perpetuae robor obtineat firmitatis, ipsum sigillo maiestatis nostrae pendenti mandavimus communiri. Datum in castro Guassemburch vigesimo Aprilis tertiae decimae indictionis. Ad huius autem rei memoriam et stabilem firmitatem nos memoratus princeps et balius praesens scriptum per Petrum de Capua domini regis et nostrum notarium et fidelem scribi et magnificentiae nostrae sigillo iussimus communiri tradentes ipsum viro nobili Pancratio Barbo ambaxatori domini ducis et communis Venetiarum in nostra praesentia constituto recipienti nomine dictorum domini ducis et communis Venetiarum.

Datum in campis apud sanctum Gervasium per manus Gualterii de Oera regnorum Jerusalem et Siciliae cancellarii Anno dominicae, incarnationis millesimo ducentesimo quinquagesimo septimo mense Septembris primae indictionis.

Ungebrüdt. Ex Libro Pact. zu Wien I, pag. 344, mitgetheilt durch Herrn Professor Dr. O. Lorenz.

XIV.

Manfredi, Fürst von Tarent, erneuert als General-Bailius des Königreiches Sicilien im Namen König Konrad II. dem Dogen Rainer Zeno und der Commune Venedig in Bezug auf das Reich Sicilien das eingerückte Privileg Kaiser Friedrich II. d. d. Venedig, März 1232, mit näheren Bestimmungen. 1257, Sept. St. Gervasio.

Manfredus divi augusti imperatoris Friderici filius dei gratia princeps Tarentinus, Honoris montis sancti Angeli dominus et illustris regis Conradi secundi in regno Siciliae bailius generalis principalis excellentia dignitatis intentionis suae salubre propositum tunc veris indiciis referat tunc per evidentes effectus operum producit in lucidum. Cum illos duces et populos orbis terrae dilectionis indissolubilis copula solitari sibi nititur, counire dignis ipsos honoribus et libertatum ac immunitatum privilegiis confovendo quos et a progenitoribus suis affectionis benevole derivata sinceritas unanimes et concordet sibi fieri persuadet et roborata cum eis dilectio decus confert et gloriam dominantem et ad generale redundare videtur compendium subiectorum. Quapropter nos suprascriptus princeps dicti domini regis bailius sicut patet per privilegium eiusdem domini regis de balio ipso nobis concessum cuius tenor inferius continetur renovamus et confirmamus nomine ipsius domini regis et nostro domino Raynerio Zeno dei gratia Venetiarum, Dalmatiae atque Chroatiae duci quartae partis et dimidiae totius imperii Romaniae dominatori et communi Venetiarum privilegium quod olim divus augustus dominus Fridericus invictissimus Romanorum imperator semper augustus Jerosolymae et Siciliae rex carissimus pater noster inclitae recordationis fecit domino Jacobo Teupulo bonae memoriae duci et communi Venetiarum pro factis regni Siciliae cum fuit Venetiis cuius tenor per omnia talis est: In nomine sanctae et individuae trinitatis. Fridericus secundus divina favente clementia Romanorum imperator semper augustus Jerosolymae et Siciliae rex. Honor augetur imperii et noster super regna laudabiliter extollitur principatus, cum duces provinciarum et populos in amicitiam nostram ad robur imperii communimus, et eis liberali provisione prospicimus a quibus dignis honoribus praevenimur. Notum igitur fieri volumus universis tam praesentibus quam futuris quod nos attendentes sinceram affectionem amicissimi nostri Jacobi Teupuli ducis et totius populi ducatus Venetiarum, quam olim erga maiestatem nostram firmam conservarunt et praecipue nobis per Venetias transeuntibus specialiter singuli et generaliter

universi ad nostram praesentiam votis ardentibus ostenderunt, excellentiam nostram in omni horificentia reverentes et se nostris exhibentes beneplacitis pronos in omnibus et paratos, petitiones eorum celsitudine nostrae porrectas pro regni nostri Siciliae oportunitatibus dignum duximus admittendas; concedentes eisdem ut amodo homines ducatus Venetiarum in regnum nostrum Siciliae venientes per totum idem regnum eundo morando et redeundo terra marique omni salubritate et indemnitatem fruantur in personis et rebus. Et ut liceat eis ubique per regnum vendere ac emere res venales¹⁾ et eas de regno extrahere. Ita videlicet quod illi de regno qui vendiderint Venetis et ab eis emerint libere possint vendere et emere, statuto aliquo non obstante. Sed de his que vendent et ement Veneti per loca et civitates Apuliae, Calabriae et Principatus, non nisi unum tarenum et dimidium de singulis videlicet centum tarenis inter venditionem et emptionem officialibus nostris statutis in civitatibus et aliis locis in quibus praedicta commercia fecerint, solvere teneantur. Reservata nostris officialibus obtione²⁾ de solutione praedicti iuris habenda sive in rebus venditis vel in emptis, quicumque istarum iidem officiales duxerint eligendum, exceptis auro argento et cambio monetarum, de quibus in venditione vel emptione dationem vel directuram³⁾ aliquam exigi a Venetis prohibemus. Concedimus etiam, ut naves Venetorum undecumque venerint in Siciliam applicantes pro toto onere uniuscuiusque navis unam unciam tantum nostris officialibus Veneti solvant; qui si voluerint aliquas merces emere vel extrahere de Messana, de singulis quatuor collis ex octo cantariis non nisi⁴⁾ tarenum unum pro iure persolvant. Panormi vero de gemis et opere setae⁵⁾ de armelenis et aliis rebus, quas vendiderint et emerint, ibi Veneti aliquid non exsolvant. Praeterea concedimus ut si quem vel si quos⁶⁾ Venetorum in regno nostro Siciliae mori contigerit, libere possint absque contrarietate aliqua concedere testamentum et liceat⁷⁾ disporre de rebus suis, et iuxta quod testator disposuerit⁸⁾ observetur. Si quis vero Venetorum ab intestato in eodem regno nostro decederet, quicumque de Venetiis⁹⁾ adierit, bona defuncti conservanda recipere permittatur. Quod si nemo praesens fuerit Venetorum, baiulus loci

1) Bei Huillard-Brèholles, hist. dipl. Frid. II. IVa. 310, nach dem von Fantuzzi Mon. Rav. VI, 282 aus dem Codex Trevisanus gegebenen fehlerhaften Abdruck: et lanas. — 2) electione. — 3) distractionem. — 4) et. — 5) opere factis. — 6) si que vel si quis. — 7) licite. — 8) disposuit. — 9) Venetus.

ea recipere ac conservare debeat sub testimonio bonorum virorum, vel in defectu baiuli alicui de loco ipso bonae fidei et opinionis viro bona eadem committantur, singulis in publicum scriptum redactis, ut ¹⁾ penes quemcumque bona ipsa deposita fuerint vel recepta, sicut per litteras et nuntium ducis ²⁾ Venetorum super hoc transmissum fuerit, cui mandaverit assignentur. Concedimus insuper ut mercatores et homines regni nostri ea tantummodo Venetias defferant ad mercandum quae oriuntur ³⁾ in regno. Ad haec addentes concedimus ut si quando contra Venetos in regno nostro quaerimoniae deponuntur, tertiaria vel aliquid aliud non exigatur propter hoc ab eis nec aliquam inde molestiam ⁴⁾ patiantur. Praesentis quoque privilegii auctoritate mandamus quatenus si contigerit aliquam navium Venetorum vel de ipsis Venetis undecumque et qualitercumque cum rebus suis regni partes attigerint, ⁵⁾ quocumque casu vel infortunio in aliquo loco regni subire naufragium, Veneti cum omnibus rebus quas extrahere et salvare poterunt ⁶⁾ salvi sint et indemnes, habentes a baiulis nostris locorum in quibus idem casus emerit, ⁷⁾ subsidium et favorem. Ad huius itaque concessionis nostrae memoriam et perpetuam firmitatem praesens privilegium fieri et bulla aurea tipario nostrae maiestatis impressa iussimus insigniri. Huius autem rei testes sunt B. Patriarcha Aquilegiensis, C. Babibergensis et . . . Wormaciensis episcopi . . . Saxoniae . . . Meraniae. et . . . Karinthiae duces, Langravius Turingiae, comes, H. de Ortemberch, comes, H. de Wardeburhc (sic), Langravius de Luchemberch, ⁸⁾ comes Sene, marchio de Foemburch, marchio Lancea, Jordanus Filangerus marescalcus, Tebaldus Franciscus, Riccardus camerarius et alii quam plures. Signum domini Friderici secundi dei gratia invictissimi Romanorum imperatoris semper augusti Jerusalem et Siciliae regis. Ego Siffredus Ratisponensis episcopus imperialis aulae cancellarius vice domini venerabilis Coloniensis archiepiscopi imperialis in Italia archicancellarii, recognovi. Acta sunt haec anno dominicae incarnationis millesimo ducentesimo trigesimo secundo mense Martii quintae indictionis. Imperante domino nostro Friderico secundo dei gratia invictissimo Romanorum imperatore semper augusto Jerusalem et

¹⁾ et. — ²⁾ duci. — ³⁾ ementur. — ⁴⁾ nec aliquod damnum. — ⁵⁾ attingerint. — ⁶⁾ potuerunt. — ⁷⁾ evaserit. — ⁸⁾ Beide Namen fehlen bei H. B., es sind Heinrich, Graf von Waldenberg und L., Landgraf von Leuchtenberg, die als Zeugen des Kaisers zu Ravenna, Dez. 1231, genannt werden. Vgl. Böhmer, Reg. Friedr. no. 691. — H. B. IV, 271.

Siciliae rege. Anno Romani imperii eius duodecimo. Regni Jerusalem septimo. Regni vero Siciliae tricesimo quarto feliciter. Amen. Datum Venetiis anno, mense et indictione praescriptis. Promittimus igitur nos praefactus (sic) princeps et balius nomine iam dicti domini regis et nostro quod ea omnia et singula, quae continentur in dicto privilegio observabimus et observari faciemus per homines dicti regni praedicto domino Rainerio Zeno duci et communi et hominibus Venetiarum ubique per regnum vendere ac emere res venales et eas de regno extrahere cum de venditione et extractione blavae in ipso privilegio mentio minime habeatur ad hoc, ut nulla dubietas inter dictum dominum regem nos et dominum ducem et commune Venetiarum valeat suboriri. Volumus quod servetur hic modus. Videlicet, quod cum portus contigerit aperiri omnes vel aliquos eorum de bladibus omnibus quas emerint vel extraxerint homines Venetiarum de portu vel de portibus apertis pro iure curie solvant quintum, quamvis ad praesens homines regni pro iure curie solvant tertium in blado extrahendo de regno. Et quod si bladum comparatum fuerit per homines Venetiarum tempore, quo portus aperti fuerint omnes vel aliqui eorum et portus postea clauderentur, antequam ipsum bladum comparatum de regno extraherent, nihilominus possunt ipsum bladum extrahere de regno sine impedimento sicut dictum est, et si aliquando minuetur datium tertiis hominibus de regno de dicto blado extrahendo, de regno ita minui debeat dictum datium quinti hominibus Venetiarum secundum illam rationem. Ad haec addentes promittimus nomine iam dicti domini regis et nostro, quod observabimus amicitiam domino duci communi et hominibus Venetiarum et quod non offendemus dominum ducem et commune Venetiarum terra marique in personis et rebus et quod non faciemus nec permittemus fieri apparatus vel armamentum navigii in regno Siciliae contra dominum ducem et commune Venetiarum et quod non praestabimus auxilium vel iuvamen alicui personae contra dominum ducem et commune Venetiarum et quod homines Venetiarum per totum dictum regnum et ubique terra et mari habebimus per nos et nostros in personis et rebus salvos pariter et securos. Concedimus etiam iam dicti domini regis et nostro nomine, quod homines Venetiarum possint libere consules in Trano et Barulo et in omnibus aliis civitatibus et terris marittimae regni praedicti habere tam quae habent portus quam non. Et quandocumque fuerint homines Venetiarum disrobati in mare a cursariis et bona eorum, qui disrobati fuerint, conducta fuerint in regnum, faciemus nos princeps Balius pro parte dicti domini regis et nostra ea restitui

secundum quod postulat ordo iuris. Exceptamus insuper et volumus observari, quod homines regni non debeant deffere nec conducere salem nec bambacem quae nascuntur in regno a Jadra ultra vel Ancona ultra versus Venetias, qui, si contra fecerint, subiaceant arbitrio domini ducis et communis Venetiarum videlicet de faciendo de rebus ipsis quod voluerint. Praeterea concedentes volumus quod homines Jadrae habeantur in regno in equali conditione cum Venetis quous fuerit de voluntate et beneplacito domini ducis et communis Venetiarum. Promittimus insuper pro parte dicti domini regis et nostra, quod faciemus restitui omnia debita tam ratione naufragii quam ratione disrobationis quam etiam ratione debitorum et omnia alia quae contra iustitiam et indebite et contra consuetudinem alicui Venetorum fuerint ablata et quod ea, quae nos ipse princeps debemus et tenemur restituere, restituemus exceptis his, quae sunt amissa in captione Baroli quorum restitutionem nostro arbitrio reservamus. Omnia quidem et singula, quae supradiximus, observabimus, et observari faciemus nomine dicti domini regis et nostro, de quibus etiam observandis astricti sumus sacramento facto in anima nostra per viros prudentes magistros Joannem de Piscaria et Nicolaum de Juntura magnae regiae et nostrae curiae iudices ambaxatores nostros in Venetiis auctoritatem et potestatem a nobis ad id faciendum habentes. Tenor itaque privilegii de balio nobis a praedicto domino rege concessi per omnia talis est. Conradus secundus dei gratia Romanorum Jerusalem et Siciliae rex ac dux Suaviae. Notum facimus universis praesens privilegium inspecturis quod cum in pupillari aetate constituti regni nostri gubernacula sufficientes gerere nequeamus ne ob nostrae tenerae aetatis infantiam regni nostri Siciliae praeclara hereditas rectore aliquo non suffulti incurrere valeat aliqua detrimenta. Ut in ipso iustitia vigeat, iura nostra serventur illesa et status eius pacificus conservetur, deliberato consilio et consideratione diligenti providimus una cum dominis ducibus Bavariae dilectis avunculis nostris aliisque nostris consanguineis et domina matre nostra nobili viro Manfredo principi Tarentino dilecto patruo nostro de cuius fide, prudentia et sufficientia plene confisi balium ipsius regni nostri usque ad nostros puberes annos committimus ad cuius manus balium ipsum de iure devolvitur et eius tutelae personam nostram committimus, si infra haec tempora regnum nostrum praedictum vos contigerit introire, dantes ei auctoritatem liberam et generalem amministrationem in ipso regno nostro tam de demaniis nostris omnibus quam commitatibus, baroniis, possessionibus omnibus quas ambitus

ipsius regni concludit nec non et massariis, mobilibus omnibus aliis ad nos spectantibus, quam nos geremus in eodem regno si personaliter adessemus. Collocationes civitatum, castrorum, feudorum, obligationes, absolutiones, pacta et compositiones quascumque fecerit quae nos possumus vel poterimus facere, rata et firma habemus tamquam si nos ipsi ea personaliter fecissemus et promittimus semper inviolabiliter observare. Et ut hoc privilegium perpetue robur obtineat firmitatis ipsum sigillo maiestatis nostrae pendenti mandavimus communiri. Datum in casto Guassemburch vigesimo Apprilis tertiae decimae indictionis. Tenor vero privilegii quod dominus dux Venetiarum fecit nobili principi et balio per omnia talis est. Nos Raynerius Zeno dei gratia Venetiarum Dalmatiae atque Chroatiae dux dominus quartae partis et dimidiae totius imperii Romaniae. Notum fieri volumus universis quod ob sinceritatis amorem quem ad illustrem virum dominum Manfredum dei gratia principem Tarentinum, Honoris montis sancti Angeli dominum et balium generalem illustris domini regis Conradi secundi in regno Siciliae et eundem dominum regem gerimus et gerere intendimus in futurum. Considerantes attente, quod ex ipsius domini regis et principis amore ac benevolentia multa poterunt nobis et nostris fidelibus utilia dante domino provenire, quia etiam idem princeps balius nomine dicti domini regis et suo petitionibus nostris benigne consentiens ad honorem nostrum nostrorumque fidelium utilitatem et commodum eas favorabiliter exaudivit sicut in tenore privilegii, quod idem princeps nomine dicti regis et suo nobis et communi Venetiarum fecit, pro ut inferius legitur, continetur. Promittentes promittimus cum nostro consilio nostro et communis Venetiarum nomine eidem principi recipienti pro parte iam dicti regis et sua quod observabimus amicitiam eidem domino regi et dicto principi et regno Siciliae et quod non offendemus personas ipsorum nec regnum Siciliae terra marique in personis nec rebus et quod non faciemus nec permittemus fieri apparatus vel armamentum navigii in Venetiis contra personas eorum nec regnum Siciliae. Nec praestabimus auxilium vel iuvamem alicui persone contra personas ipsorum, nec regnum Siciliae. Nuntios suos et familiam suam euntes transeuntes et redeuntes per Venetias salvabimus in personis et rebus suis in toto districtu nostro exceptis illis, qui vellent transire in modum exercitus. Salvo eo, quod si praedicti euntes transeuntes et redeuntes aliquo casu mercatores Venetiis detulerint, conservabitur in hoc consuetudo Venetiarum. Concedentes in super nos dux et commune, quod homines regni praedicti, qui Venetias venerint, pos-

sint emere et vendere in Venetiis cum illa consuetudine quae erat tempore regis Guilielmi bonae memoriae quae talis erat: Videlicet quod homines regni praedicti solvebant octuagesimum nomine datii et vendebant Venetis et emebant a Venetis nec vendebant forensibus nec emebant ab ipsis nec Venetiarum mercationes suas defferere ad partes aliquas hoc reservato, quod ipsi mercationes quae nascuntur in regno non debent nec possunt deferre a Jadra citra nec ab Ancona citra alibi ad vendendum nisi Venetias etsi alibi portare inventi fuerint subiacebunt arbitrio nostro et communis Venetiarum de rebus, quas secum portaverint et habuerint ad faciendum inde, quidquid nobis et communi Venetiarum placuerit. Et quod salem et bambace, quod nascitur in regno praedicto, non debeant homines ipsius regni conducere nec defferre a praedictis confinibus citra versus Venetias et si conduxerint dictum salem et bambace a dictis confinibus citra versus Venetias subiacebunt arbitrio nostro et communis Venetiarum ad faciendum de ipso sale et bambace quicquid nobis et communi Venetiarum placuerit. Et quod mercationes quae nascuntur in regno non debeant homines regni conducere nec defferre a praedictis confinibus citra versus Venetias. Et si aliquo casu contigerit homines regni conducere Venetias mercationes quae non oriuntur in regno, solvent de ipsis datium sicut caeteri amici nostri solvent, qui mercationes Venetias per mare defferunt vel apportant. Etsi homines regni inventi fuerint cum mercationibus, quae nascuntur in regno a dictis confinibus citra versus Venetias non veniendo Venetias subiacebunt nostro arbitrio et communis Venetiarum ad faciendum de ipsis mercationibus quicquid nobis et communi Venetiarum placuerit. Et quandocumque fuerint homines regni disrobati in mari a cursariis et fuerint bona ipsorum qui disrobati fuerint deducta Venetias eis restitui faciemus secundum quod postulat ordo iuris. In cuius rei firmitatem et evidentiam plenioram praesens privilegium nostrum fieri iussimus et nostri sigilli pendentis munimine roborari. Datum in nostro ducali palatio per manum Litaldi notarii Tervisini. Anno domini millesimo ducentesimo quinquagesimo septimo mense Septembris primae indictionis. Ad huius itaque concessionis nostrae et praedictorum omnium memoriam et robur perpetuum valiturum. Nos praenominatus princeps dicti domini regis balius praesens privilegium per Petrum de Capua eiusdem domini regis et nostrum notarium et fidelem scribi et magnificentiae nostrae sigillo iussimus communiri. Tradentes ipsum viro nobili Pancratio Barbo ambaxatori domini ducis et communis Venetiarum in nostra praesentia constituto

recipienti nomine dictorum domini ducis et communis Venetiarum. Huius rei testes sunt Galuanus Lancea comes Principatus, regni Siciliae marescalus, Riccardus Casertae comes, Thomas de Aquino comes Acerrarum, Manfredus Maletta camerarius, Gualterius Oca cancellarius regnorum Jerusalem et Siciliae. Goffridus de Cusentia et Joannes de Procida dilecti familiares nostri et alii quam plures.

Datum in campis apud sanctum Gervasium per manus Gualterii de Oca regnorum Jerusalem et Siciliae cancellarii. Anno dominicae incarnationis millesimo ducentesimo quinquagesimo septimo mense Septembris indictionis primae.

Ungebrucht. Ex Libro Pact. zu Wien I, p. 340. Mitgetheilt durch Herrn Prof. Dr. O. Lorenz.

XV.

König Manfredi beurfundet die zwischen den Bevollmächtigten Venedigs und seinem Hof abgeschlossene Uebereinkunft, der zu Folge die an Venedig zu leistenden Zahlungen vermittelst gestatteter Getraideausfuhr aus Apulien binnen gewisser Zeit ausgeglichen werden sollen. 1259. Septbr. 27. Vorfentin.

Manfredus dei gratia rex Siciliae. Tenore praesentium notum facimus universis quod cum per cameram nostram restitui debeant duci et communi civitatis Venetiarum quinquaginta millia bisanciorum valentium et rationem de tredecim bisantiis minus quarto pro qualibet uncia in summa tria millia unciarum nongentas et viginti unam et tarenos quindecim et de solucione ipsius pecuniae dictis Venetis facienda duae partes seu termini sunt transacti, quae duae partes in duobus terminis debitae ad rationem praedictam ascendunt ad unciarum auri duo millia sexcentas et quatuordecim et tarrenos decem concordavit et convenit nuper curia nostra cum Joanne Delphino et Marco Quirino nuntiis ducis et communis Venetiarum missis et requirentibus dictam pecuniam duorum terminorum pro parte et nomine ducis et communis praedicti, quod de medietate ipsius pecuniae pro duobus transactis terminis debitae sicut dictum est, quae scilicet medietas est unciarum mille trecentarum et septem et tarenorum quinque per extractionem frumenti de Apuliae portubus hinc per totum Januarium proximo venturum extrahendi per ipsos de regno eis satisfiat in modo et forma, quam misimus magistris portu-

lanis Apuliae per alias nostras litteras speciales. De alia vero medietate convenit curia nostra cum praedictis nuntiis taliter duci et communi Venetiarum satisfacere, ut inferius declaratur, videlicet quod tantam quantitatem frumenti de portibus Apuliae possint extrahere et deferre per mare a calendis Februarii primo venturi in antea usque per totum mensem Septembris proximo futurae quartae indictionis; itaque ipsius frumenti extractio ultra ipsum mensem Septembris nullatenus prorogetur, quod de iure debito nostrae curiae pro extrata ipsius extenuetur excomputetur ac quietetur praedicta pecuniae quantitas, quae est unciarum mille trecentarum septem et tarenorum quinque, sicut superius est expressum; hoc modo, quod inter id, quod excomputabitur pro iure exiture et quod pro emptione ipsius frumenti ac delatione ad portum dabitur centenarium frumenti proveniat ad uncias quadraginta unam. Jure exiture sic ascendente cum frumentum vendetur vilius et sic descendente cum comparabitur carius, quod inter totum ad uncias quadraginta unam proveniat unumquodque centenarium semper et sic exceptum et absolutum a iure doanae et qualibet alia datione.

Datum Borentin (i) vigesima septima Septembris tertiae indictionis.

Ungebrudt. Ex libro Pact. zu Wien, I, p. 345, mitgetheilt durch Herrn Prof. Dr. O. Lorenz.

XVI.

Drei genannte Machtboten und Procuratoren erhalten allgemeine Vollmacht zum Abschluß irgendwelcher Bündnisse für die Stadt Verona. Verona 1254. Juni 29.

Die lune secundo exeunte Junio Verone in hospicio domini Ezellini de Romano, presentibus dominis Thomasio de sancta Lucia, Guiberto de Vivario, Bonifacio de Castrocucho, Gerardo de Crispiguaga, Gualperto de Costis testibus et aliis.

Ibi dominus Albertus Macognus vicarius communis Verone et consilium minus civitatis eiusdem more solito congregatum, habitis plena potestate, auctoritate, voluntate et parabola consensu et assensu consilii maioris civitatis predictae fecit, constituit et ordinavit dominos Prandum judicem de Ruthena de Padua et Fridericum de Scala et Advogarium de Aleardis de Verona suos speciales nuncios, syndicos et procuratores singillatim et quemlibet eorum per se et in

solidum, dando sibi et cuilibet eorum plenam et integram potestatem et arbitrium ad iurandum super animas suas et eorum predicti maioris consilii et arengi ac communis Verone. Et ad promittendum et faciendum et firmandum pacta et promissiones et societatem cum omnibus persona et personis, civitate et civitatibus, castro et castris, loco et locis, terra et terris, potestate et potestatibus, consilio et consiliis, arengo et arengis, commune et communibus eorum et earum qui cum eis procuratoribus dominis Prando Friderico et Advogario vel cum aliquo seu aliquibus eorum fecerint et contraxerint et firnaverint societatem, pacta et promissiones et securitates. Et ad faciendum et firmandum quicquid eis vel cuilibet aut quibuslibet eorum videbitur cum predictis et quolibet predictorum. Et etiam ad recipiendum ab eis et quolibet eorum iuramenta, pacta et promissiones, securitates et obligationes, promittentes quod quicquid predicti procuratores vel quilibet eorum fecerit vel fecerint in predictis et ab eis receperit vel receperint, quod ipsi et consilium maius et arengum et commune Verone firmum et ratum habebunt et perpetuo tenebunt.

Anno a nativitate domini millesimo ducentesimo quinquagesimo quarto, indictione duodecima.

Ego Bonamens de Conradino domini Frederici Romanorum imperatoris notarius interfui et rogatus scripsi.

Ungedruckt. Aus dem Archiv von Cremona C. Verone, E. G. — Mitgetheilt durch Herrn Archivsecretair Sppolito Cereba zu Cremona.

XVII.

Markgraf Oberto Pelavicini, Podestà von Cremona, Boso de Doaria und die Commune von Cremona einerseits, andererseits Azzo, Markgraf von Este und Ancona, Graf Lodovico von Verona, die Commune von Mantua, Ferrara und Padua schließen für sich zur eigenen Wohlfahrt und Größe, sowie zu der aller ihrer Freunde, namentlich zur Ehre Manfredis, Königs von Sicilien, ein dauerndes Bündniß. Cremona, 1259. Juni 11.

Anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo quinquagesimo nono. Indictione secunda, die mercurii undecimo Junii; presentibus dominis Bernardino de Orionibus iudice domini Ubertini Pelavicini tunc potestatis Cremone, Ugone de Marzolaria, Antonio de Ghisaligio sociis dicti potestatis, Zamba de Fontanella, Guilielmo

de Crema tunc notario communis Cremonae, et multis aliis ibi testibus rogatis.

Factum fuit generale consilium communis Cremonae super palatio veteri dicti communis ad sonum campane more solito congregato, in reformatione cuius consilii factis partitis per dominum Ubertum marchionem Pelavicinum dominum et potestatem Cremonae, placuit omnibus de dicto consilio, nemine contradicente, quod predictus dominus marchio pro se et communi Cremonae et omnibus amicis suis et dicti communis procedat ad complementum societatis, amicitie, et fraternitatis cum dominis marchione Estense, comite Verone, et communibus Mantuae, Ferrariae et Paduae pro se et communibus eorum amicis secundum formam infrascriptorum capitulorum in eodem consilio lectorum per dictum Zambam de Fontanella, et quod per ipsum dominum marchionem et consilium pro communi Cremonae fiat syndicus ad firmandum et complendum predictam societatem et amicitiam, et ad jurandum et promittendum et obligandum et recipiendum et stipulandum et ad faciendum integraliter quecumque dicte societati et amicitie magis et melius fuerint oportuna.

In nomine Domini nostri Jesu Christi et gloriose Virginis beate Marie et omnium Sanctorum et Sanctarum Dei. — Hec est forma societatis amicitie et unionis faciende et firmande et juvande inter illustrem virum dominum Ubertum marchionem Pelavicinum dominum et potestatem Cremonae, et egregium virum dominum Bosium de Dovaria et commune Cremonae scilicet partem Barbarasorum que modo est commune Cremonae et regit Cremonam pro se et omnibus amicis eorum et dicti communis Cremonae ex una parte, — et illustrem virum dominum Azonem Dei et apostolica gratia Estensem et Ancone marchionem et magnificum virum dominum Lodoycum comitem Verone et communia Mantuae, Ferrariae et Paduae, scilicet partem ipsorum dominorum marchionis et comitis que nunc regunt ipsas civitates et sunt communia pro se et omnibus eorum dominorum et dictorum communium amicis ex altera, — ad honorem et reverentiam omnipotentis Dei et gloriose Virginis Marie, et ad honorem et augmentum et exaltationem predictorum dominorum et communium dictarum civitatum. et defensionem et bonum statum omnium amicorum predictorum dominorum et communium civitatum predictorum.

In primis videlicet quod domini marchio Estensis et comes Verone et communia Mantuae, Ferrariae et Paduae habeant semper, teneant et foveant Excellentissimum Dominum **Manfredum** regem Sicilie

in amicum, et dent operam quod dictus dominus rex ad concordium reducatur cum ecclesia.

Item quod parentele fiant inter predictum dominum marchionem Estensem, et dominum marchionem Pelavicinum predictum, et dominum Bosium de Dovaria, et etiam inter civitates Mantue et Cremone et alios de quibus fuerint in credentia. Super quibus parentelis faciendis statim et continuo procedatur.

Item quod inter ipsum dominum Ubertum marchionem Pelavicinum et dictum dominum Bosium et commune Cremone, ex una parte, — et dominos marchionem Estensem, Lodoycum comitem Verone et communia Mantue, Ferrarie et Padue, ex altera — pro se et aliis amicis utriusque partis in Lombardia, Tuscia et Marchia Trivixiana, et specialiter pro amicis et propinquis domini marchionis Pelavicini scilicet Ubaldinis, comite Oldevrandino de Maritima, comite Guidone Novello, et Simone eius fratre, et comite Guidone de Romana. Eodem modo et pro amicis de Tuscia domini marchionis Estensis firmetur et iuretur quod omnia eorum iura per eorum antecessorum habita et possessa integre defendantur et restituantur, et si restituta non fuerint quod predicti domini marchio Estensis, comes Verone, et communia Mantue, Ferrarie et Padue pro se et omnibus eorum amicis toto posse teneantur eos offendere et habere et tenere pro inimicis et eos inimicari qui restituere voluerint, et iuretur et firmetur ad honorem Dei vera et pura societas, communis, perpetua et equalis, ad iuvandum et defendendum inter se vicissim omnibus suis viribus et posse ab omnibus volentibus offendere predictos seu aliquem predictorum, et se in bono statu conservandum, et ad offendendum et guerram faciendum omnibus inimicis predictorum et cuiuslibet eorum et eorum fautoribus ad ignem et sanguinem, et maxime **Ezerino** de Romano et Alberico et suis filiis ac aliis suis sequacibus et fautoribus de Verona, Brixia, et Marchia Trivixiana; salvo si quis amicorum predictorum dominorum marchionis Pelavicini, Bosii de Dovaria et communis Cremone et dominorum marchionis Estensis, comitis Verone et communum Mantue, Ferrarie et Padue voluerint venire et esse ad dictum societatem ipsi domini et communia predicta teneantur eos habere pro non amicis, et contra illos unus alium teneatur defendere et iuvare, ne eis aliquo ingenio auxilium exhibere; salvo quod mercatores de Tuscia semper secure possint ire et redire, stare et conversari cum personis et mercibus per civitates et territoria Mantue, Ferrarie, Padue et Cremone, dicto capitulo amicorum de Tuscia non obstante.

Item quod domini marchio Estensis, comes Verone, et communia Mantue, Ferrarie et Padue in quantum possunt dent operam quod commune et homines Placentie conservent dominium et privilegium honoris et jurisdictionis collate ipsi domino marchioni Pelavicino, quod si facere noluerint teneantur ipsi domini marchio Estensis, comes Verone et communia predicta Mantue, Ferrarie et Padue eos habere, tenere et tractare pro inimicis, et ipsis guerram facere, sicut dictus dominus marchio Pelavicinus et commune Cremona facient.

Item quod victa seu quoquo modo vel casu exempta civitate Brixie de dominio perfidi Ezerini quod in ipsa civitate Brixie domini Marchio Estensis et comes Verone cum dictis communibus Mantue, Ferrarie et Padue teneantur servare ipsi domino marchioni Pelavicino et domino Bosio et communi Cremona quicquid pars extrinseca Brixie ipsis concederet dominii et honoris sic quod ipsi domini marchio Pelavicinus, Bosius, et commune Cremona de ipsa civitate Brixie et districtu possint facere quicquid velint, ita quod domini marchio Estensis, comes Verone et communia Mantue, Ferrarie et Padue teneantur cum suo exsorcio dare operam ad recuperandum et eximendum de dominio et potestate et forcia perfidi Ezerini civitatem Brixie, et omnia loca ipsius episcopatus et districtus Brixie, et ea omnia defendere et manutenere omni suo posse in forcia et dominio predicti domini marchionis Pelavicini et domini Bosii et communis Cremona, et se non intromittere ullo modo de dominio et signoria dicte civitatis seu episcopatus vel districtus Brixie.

Item quod Parmenses de utraque parte si volunt venire ad hanc societatem quod recipiantur et pro amicis teneantur tam ab ipso domino marchione Pelavicino, et Domino Bosio de Dovaria et communi Cremona, quam a dictis dominis marchione Estensi, comite Verone et communibus Mantue, Ferrarie et Padue, et si qui venire voluerint ad hanc societatem, quod pro amicis teneantur et tractentur, salvo quod dictus dominus marchio Estensis et comes Verone et communia Mantue, Ferrarie et Padue teneantur quod si qui ex Parmensibus se rebelles facerent in offensionem ipsius domini marchionis Pelavicini vel communis Cremona adiuvere et defendere dictum dominum marchionem Pelavicinum et dominum Bosium et commune Cremona totis viribus atque posse, et rebelles et offendentes huiusmodi pro inimicis habere et tenere, salvo verbo secreto.

Item quod dictis civitatibus Verone, Vicentie et Trivixii, Feltri et Belluni, et omnibus terris et locis que tenentur per Ezerinum et

Albricum de Romano sive sua sint sive aliena in Verona et Veronensi et districtu et Marchia Trivixiana solum capitudo et dominium dicto domino marchioni Estensi et comiti Verone reserventur in eis in quibus in habendo aliquod dominium se volunt intromittere ullo modo dicti domini marchio Pelavicinus et Bosius et commune Cremonae, ita quod dictus dominus marchio Pelavicinus et dominus Bosius et commune Cremonae teneantur omni suo exsorcio dare operam ad recuperandum et eximendum de dominio perfidi Ezerini et Albrici et filiorum et suorum et fautorum dictas civitates terras et loca et eam defendenda et manutenenda dictis dominis, et omnia alia loca, civitates et terras que tenentur pro dictis dominis in Marchia, vel Verona, vel Veronensi et in Feltro et Belluno.

Item quod pro morte et offensione Ezerini de Romano et suorum fautorum assoldentur pro communibus Cremonae, Mantuae, Ferrariae, Paduae et communitatum Rodigii et Lendenariae mille ducenti inter milites et equitatores in quibus sint ducenti balesterii equestres, de quibus militibus et equitatoribus eligendis dicti marchio Estensis et comes Verone eligant medietatem, et dominus marchio Pelavicinus aliam medietatem, et insuper ducentorum balistariorum qui stent super Riperia Oley, principaliter et offensionem eiusdem Ezerini, et ire debeant et se trahere alio ubi etiam foret utile et oportunum pro offensione Ezerini et suorum fautorum et salute et defensione amicorum et assoldari debeant dicti milites de extraneis personis si haberi poterunt, que non teneantur facere pro aliquo ex dictis communibus et solvi debeant a dictis communibus secundum magnitudinem facultatum cuiuslibet dictarum civitatum et locorum, videlicet in hunc modum; quod commune Cremonae debet solvere quartam partem tantum dictorum militum et equitatorum et balistariorum: et communia Mantuae, Ferrariae et Paduae reliquas tres partes euntibus nunciis dictorum dominorum et communium ad eos assoldandum et solvendum dictis militibus et equitatoribus de quibus dictus dominus marchio Pelavicinus esse debeat dominus et capitaneus donec Ezerinus vel gens sua steterit in Brixia vel districtu, et debeant dicti milites assoldari quousque guerra presens durabit et victus fuerit Ezerinus; et debeat esse capitaneus dominus marchio Pelavicinus dictorum militum et equitatorum et balistariorum in tota terra et districtu Brixie et Brixiane, Cremonae et Cremonensi, et in omnibus aliis partibus a flumine Ollii citra a flumine vero Ollii ultra extra districtum Brixie sint domini et capitanei predicti domini marchio Estensis et comes Verone. Et si predicti domini essent in aliquo exercitu vel caval-

cata communiter quod unusquisque sit dominus et capitaneus sue electionis.

Item super Capellettis bannitis Cremone vel qui habentur et tenentur pro bannitis Cremone, quod dominus marchio Estensis et comes Verone et dicta communia Mantue, Ferrarie et Padue non debent dare ipsis Capellettis aliquod consilium, auxilium nec adiutorium vel favorem contra dictum dominum marchionem Pelavicinum et dominum Bosium et commune Cremone et partem Barbarasorum. Eodem modo domini marchio Pelavicinus, Bosius et commune Cremone teneantur de non dare aliquod consilium, auxilium vel favorem contra dominum marchionem Estensem, comitem Verone et communia Mantue, Ferrarie et Padue bannitis dictorum dominorum vel communium et eos inimicari ad voluntatem et beneplacitum dominorum marchionis Estensis, comitis Verone et communium Mantue, Ferrarie et Padue, salvis et exceptis Ferrariensibus et Mantuanis in hac compositione et societate notatis.

Item quod omnes banniti pro facto Marcharie et omnes eorum homines et eius occasione et homines Ubaldini de Campedello et Mozolini banniti occasione Marcharie vel occasione dictorum dominorum et quod Conradus de Calarosis et nepotes filii fratris habeant fruges suas, restituis eis omnibus et eorum hominibus possessionibus quas habebant tempore quo exierunt de Mantua, exceptis guastis ipsis factis, et venditionibus si quas fecerunt, de quibus nulla fiat restitutio, et quod ipsi omnes possint statim firmata societate mittere uxores et familias et nuncios suos ad colligendum fruges suas, et stare super possessionibus suis, et possint et debeant habitare in civitate et districtu Mantue ab uno anno proxime venturo ultra cum securitate parentele et iuramentorum, ad hoc ut sint fideles amici dominorum marchionis Estensis, et comitis et communis Mantue.

Item quod locus de Jurciis et locus Ustiani, et omnes alie terre de Brixiana que venerunt ad istam partem quocumque eventu vel modo debeant defendi muniri et guarniri usque ad medium mensem Julii proximum venturum communibus expensis dictorum dominorum et communium, videlicet in hunc modum, quod commune Cremone debeat facere quartam partem ipsarum expensarum tantum, et communia Mantue, Ferrarie et Padue reliquas tres partes, et etiam securi debeant per dictos dominos et communia contra Ezerinum de Romano et commune Brixie et suos fautores, si Ezerinum vel commune Brixie ad obsidionem alicuius predictorum aptentaverit venire

vel mittere secundam facultatem et magnitudinem cuiuslibet ex dictis communibus.

Item quod dicti domini et quodlibet ex dictis communibus et subjecti et amici sui se debeant munire equis et armis et ballistis tam in militibus quam in populo.

Item quod prefati domini marchio Estensis, comes Verone, et communia Mantue, Ferrarie et Padue dent operam totis viribus bona fide et sine fraude per se et suos nuncios et ambaxatores eorum cum requisiti fuerint per dominum marchionem Pelavicinum et commune Cremone, quod ipsi et commune Cremone et omnes et singuli civitatis et episcopatus Cremone tam laici quam clerici cuiuscumque conditionis et dignitatis eximantur, extrahantur et absolvantur ab omnibus et singulis excommunicationibus et interdictis et depositionibus et irregularitatibus et sententiis contra eos factis vel latis seu illatis per sedem apostolicam seu legatos generales vel speciales sedis apostolice seu per aliquam ecclesiasticam personam et quod in istum statum restituantur ex integro per sedem apostolicam et in gratiam ipsius sedis apostolice reducantur, et quod omnes iniurie et offensiones et excommunicationes facte et dampna illata per suprascriptos dominos marchionem Pelavicinum, Bosium de Dovaria et commune Cremone seu per aliquam singularem personam civitatis vel districtus Cremone alicui ecclesie vel ecclesiastice persone vel alicui alii occasionis presentis guerre per sedem apostolicam nullo dato libere remittantur. Et quod electiones seu promissiones super electionibus factis per capitulum Cremone et alias ecclesiasticas personas seu capitula confirmentur per sedem apostolicam, et quod littere impetratae a sede apostolica seu eius legatis super aliqua ecclesia seu beneficio Cremonensis diocesis cassentur et irritentur ad voluntatem dicti domini marchionis Pelavicini et domini Bosii et communis Cremone et partis Barbarasorum.

Item quod Ezerinus de Romano et Albricus et sui heredes et sui fautores excludantur, quod nunquam possint recipi ad hanc societatem.

Item quod omnibus amicis predictorum dominorum et communium qui recipientur ad hanc societatem qui voluerint dicere se habere jus in aliquibus possessionibus seu iuribus per aliquos alicuius partis detentis, fiat ratio per arbitros communiter electos.

Item quod fruges dimittantur per dominum marchionem Estensem et commune Ferrarie dominis Henrico et Suxinello de Rambertis et Jacobo de Gontardis et aliis de domibus eorum, et suis hominibus

et vasallis, ipsis potentibus stare in Cremona et Cremonensi, et non veniendo in Mantuam vel Mantuanam vel in Ferrariam vel districtum hinc ad unum annum, et abinde recipiantur in civitate Ferrarie super suis possessionibus cum securencia parentele et iuramentorum, ad hoc ut sint amici et fideles domini marchionis Estensis et communis Ferrarie habendo nuncios suos societate iurata in Ferraria et districtu, qui coligant fruges suas et procurent eorum negotia.

Item quod predicta societas et omnia et singula que in ea continentur perpetuo rata et firma permaneant et inviolabiliter debeant observari, et quod non petatur nec recipiatur aliqua absolutio seu licentia super predictis vel aliquo eorum a domino Papa vel Imperatore vel aliqua alia persona que concessionem vel absolutionem possit facere super predictis, et si concessa vel data fuerit non valeat nec recipiatur, etiam si data fuerit nihilominus dicte partes ad predicta omnia et singula teneantur, et se teneantur astrictae per hoc sacramentum.

Pro quibus omnibus predictis attendendis et servandis a dictis dominis et communibus prestentur bone securitates et promissiones, et specialiter excellentissimus dominus **Manfredus** rex Sicilie detur pro fideiussione ab utraque parte si esse poterit et etiam prestentur et fiant securitates ubi melius haberi poterunt sive in civitate Venetiarum vel Pergami aut Parme vel Regii, et etiam de civibus Cremonae, Mantuae, Ferrarie et Padue pro ut utrique parti placuerit, et intelligatur commune Cremonae pars Barbarasorum que est in civitate modo et regit ipsam civitatem, et nunc est commune Cremonae. Et eodem modo intelligatur in civitatibus Mantuae, Ferrarie et Padue partes dictorum dominorum marchionis Estensis et comitis Verone que nunc regunt ipsas civitates esse communia.

Post hec vero statim eodem anno, die et eadem indictione, sub voltis palatii novi communis Cremonae, presentibus dominis Ravanino de Bellottis, Trinca de Cella, Abramino de Dovaria, Venturino Bergoiono, Homobono Morixio, Bonacurso notario domini marchionis Estensis, et Bartholino de Nuvolono, et Bartholino notario de Sabato de Padua, et fratre Antonio de Botto, et Benvenuto Bonebelli, Zamba de Fontanella et aliis quampluribus testibus rogatis.

Ibique dominus Ubertus marchio Pelavicinus perpetuus dominus et potestas Cremonae pro se et suo proprio nomine et vice communis Cremonae et pro ipso communi sicuti dominus et potestas, et dominus Petrebonus pistor syndicus et procurator communis Cremonae, ut con-

stat per instrumentum factum a me Juliano de Orlando notario infrascripto, vice et nomine communis Cremonae et pro ipso communi Cremonae, et dominus Bosius de Dovaria pro se et suo proprio nomine et pro omnibus amicis ipsorum dominorum et communis Cremonae, ex una parte, — et Dominus Roffinus de Zanucallis, Bonifacius de Arlottis, Petrecinus de Vicedominis et Petrus de Turi, nuncii et procuratores domini Azonis Dei et apostolica gratia Estensis et Ancone marchionis, ut constat per instrumentum factum per Zoaninum notarium de Erba vice et nomine ipsius domini marchionis et pro ipso domino marchione, et per predictum Zoaninum notarium de Erba, vice et nomine dicti communis Mantuae et pro ipso communi Mantuae, et dominus Gabriel Guidonis Nigri iudex, et dominus Henrighettus Capuace syndici et procuratores communis Paduae, ut constat per instrumentum factum per Zamboninum notarium, vice et nomine ipsius communis Paduae et pro ipso communi Paduae, et prefati domini Petrecinus de vicedominis, et Petrus de Turi syndici et procuratores communis Ferrariae, ut constat per instrumentum factum per Petrebonum de Magistro Vitale muratore notarium, vice et nomine ipsius communis Ferrariae et pro ipso communi, pro se et omnibus amicis dictorum dominorum et communium ex altera, — contraxerunt ad invicem et firmaverunt societatem, fraternitatem, amicitiam et unionem veram puram communem et equalem secundum formam expressam et notatam in capitulis antedictis, jurantes principales persone predictae, scilicet domini marchio Pelavicinus et Bosius de Dovaria pro se principaliter, et dictus syndicus communis Cremonae in animabus illorum de dicto consilio et communis Cremonae, et alii procuratores et curator dominorum marchionis Estensis, et comitis Verone, et syndici et procuratores suprascriptorum communium Mantuae, Ferrariae et Paduae, in animabus predictorum dominorum marchionis et comitis, et super animabus illorum de consiliis et communibus predictarum civitatum corporaliter ad sancta Dei evangelia tactis scripturis, quod ipsi domini marchio et Bosius et communis Cremonae, et predicti domini marchio Estensis et comes Verone et communia Mantuae, Ferrariae et Paduae, omni tempore et in perpetuum habebunt et tenebunt ratam et firmam et inviolabilem predictam societatem, fraternitatem, amicitiam et unionem in totum secundum modum et formam suprascriptam et habebunt et tenebunt et observabunt, procurabunt, facient et perficient omnia capitula et quicquid in ipsis capitulis et quolibet predictorum capitulorum generaliter singulariter et specialiter continetur. Que omnia et singula et quod-

libet predictorum in totum et cum effectu ambe partes modo predicto et nomine cum stipulatione sicut ad invicem promiserunt attendere et observare perficere facere et complere, et observari facere et curare sub pena trium millium marcharum argenti, cum stipulatione premissa inter dictas partes, et dupli dampni et totius dispendii exinde facti vel habiti, ita qua utrumque et omnia et singula debeantur et ad effectum peti et exigi possint; ita quod pena super predictis et super quolibet capitulo toties comitatur et peti possit et exigi cum effectu, quoties contrafactum fuerit, vel sicut non factum seu non servatum. Qua pena sic commissa et soluta vel non soluta vel exacta omnia predicta et singula et quodlibet predictorum in pleno statu et efficaci firmitate consistent. Pro quibus omnibus et singulis firmiter et plenius attendendis predicti domini marchio Pelavicinus et Bosius de Dovaria bona sua propria, et syndici et procuratores predictorum domini marchionis Estensis et curator prefati domini comitis Verone bona propria ipsorum dominorum marchionis et comitis, et syndici et procuratores predictarum civitatum et communium bona omnia predictarum civitatum et communium obligaverunt pigneri inter se ad invicem, dantes ad invicem parabolam intrandi in tenutam ipsorum pignerum, et constituendo ea pignera pars una pro altera possidere.

Ego Julianus de Orlando notarius ab Imperatore Frederico et tunc scriba communis Cremonae, hiis interfui et hanc cartam rogatus scripsi.

Aus dem Archiv von Cremona A. 40. Mitgetheilt von Herrn Archivsecretair Ippolito Cereda zu Cremona. Cf. Antonio Campi, Storia di Cremona, lib. III, pag. 65.

XVIII.

König Manfredi ermahnt die Senesen nach dem Siege seines Heeres über die Florentiner (bei Montaperto), nicht von ihrer weiteren Verfolgung abzulassen, wobei es an seiner Hülfe nicht fehlen solle, da er die Absicht habe, Florenz gänzlich zu zerstören (1260).

Manfredus Dei gratia rex Sycilie potestati consilio capitaneo et communi Senensi fidelibus suis gratiam et suam bonam voluntatem. Obtentum nuper de communibus hostibus Florentinis et suis complicibus cum honore triumphum de litteris uestris tam gratanter collegimus quam gaudenter, qualiter in ipsorum expugnatione cum prepotenti nostro exercitu vos gessistis, et quod videmus perspicue et cognoscimus manifeste, quod sublato de medio obstaculo dictorum

rebellium qui se divine providentie et processibus nostris obiecerant in nostrum¹⁾, sceptrum potentie per omnes partes Italie ampliatur et crescit. Cumque predicti rebelles et hostes Dei et hominum in conflictu vobiscum habito et cum expeditione nostra magnifica vires suas virtutem amiserint et consilio caveant attoniti formidantes, ad prosequendas eorum reliquias fortiter et instantius intendatis. Nam virtus bellicosa precipue nil verum fore reputat, dum quod ad agendum superest et omnis in fine gloria predicatur, an continebitis ab illorum jugulis gladium, quod in capite vestro exuerant gladios? Civitates et habitationes vestras parabant circuere et in servitutem perpetuam uxores vestras et filios mancipare. An nescitis quod in hostibus pietas segnis arguitur et ignis scintilla, que remanet negliger in flammam transire multoties destructiva. Non tepescat igitur ultio vestra nec querat otium, dum hostem prostratum videtis, vel ipsius umbram conspiciate palpitare persequentes ipsi usque ad cinerem ventis ad diversa ferentibus dispergendum. Nec sufficit vobis et posteris vestris aut magnificentie vestre processibus, quod sic flores iuventutis sunt deflorate Florentia, nisi quam victos gladium debilitavit viribus, ignis subsequens destruat et seducat ad nihilum ut amplius non adiiciat, quod resurgat. In hoc vobis nostrum subsidium non deerit, cum sit nobis specialis intentio, statum civitatis ipsius destruere et vestrum sic extollere, sic firmare, ut in nostra promotione promoveatis, cognoscatis sublimitas²⁾ et sitis ex nunc speculum civitatibus et locis aliis nostre celsitudini serviendi.

Ungebrücht. Ms. Bibl. Taurin. fol. 57. — Mitgetheilt durch Herrn Claretta zu Turin. — Angeführt von Dönniges, Gesch. des deutsch. Kaiserthums I, 328.

XIX.

Mandat König Manfredis, betreffend die Erneuerung des Studiums zu Neapel.

Manfredus etc. Magistro N. decretorum doctori.

Inter alia devotis insignia quibus regni nostri possessio praeclara tripudiat, desideramus ibidem liberalium artium erudimenta concreescere et literalis scientie munimenta florere. Ut sicut regnum

¹⁾ In der Abschrift steht „in nostrum et“, vermuthlich ist ein Wort wie „detrimentum“ ausgefallen. — ²⁾ So die Abschrift.

ipsum pacis et iustitiae complexione nunc fruitur et rerum opulentia naturaliter gloriatur, sic eiusdem incolas, quos ingeniorum nativa fecunditas ad consilia reddit alta conspicuos, per doctrinale commercium articulis vivae vocis efficiat utili transfusione peritos. Ad quod laudabiliter peragendum, scholis ubique per regnum particularibus interdictis, universale studium in civitate Neapolitana consulta deliberatione praehabita providimus reformandum. De tua igitur fide et sufficientia, laudabili testimonio perhibito coram nobis, te ad huius operis participium invitamus, fidelitati tuae praecipiendo mandantes quatenus ad civitatem ipsam docturus, in scientia decretorum et nobis exinde placiturus personaliter studeas te conferre de munificentiae nostrae liberalitate securus, quod praeter fructum favoris et gratiae, quem a nobis propterea specialiter consequeris, consuetudines omnes et bonos usus quibus unquam temporibus felicis memoriae domini genitoris nostri doctores et scholares in studio ipso morantes uti et gaudere sunt soliti, faciemus tibi et aliis moraturis ibidem inviolabiliter observari.

Mss. der R. Bibl. zu Paris, Epist. 8567, fol. 97 a. — Mitgetheilt durch Herrn Dr. Geiger. — Gedruckt in Baluzii Miscell. I, 483.

XX.

Mandat König Manfreds, betreffend die Erneuerung des Studiums zu Neapel.

Manfredus ad iustitiarium etc.

Ad regie prefecture fastigium providentia divina vocati, more consulti patrisfamilias, cui debet inesse de subditis, inter sollicitudines alias nostris sensibus inherentes continua reddimur cordis pulsatione pervigiles qualiter regnum nostrum, quod praeter turbationis praeterite tumultus innumeros non sine multis persone nostre laboribus, in plurimum siquidem iniuriam populorum, omnimoda pacis tranquillitate nunc fruitur et ubertate rerum vitalium naturaliter gloriatur, prudentum fulcimento virorum, per quos cure rerum geruntur officia, nostris artificiose temporibus ampliare possimus, ut fideles regnicole ad artium erudimenta famelici, per aliena, ut assolent, studia mendicant, suffragio non coacti, paratam in regno mensam refectionis inveniant, et tanquam domesticis fulta dogmatibus eruptantia ex hoc in illud eorum promptuaria plena fluant. Ad hoc

enim nos progenitoris nostri clara prioritas laudabilibus invitat exemplis, qui virtuose mentis argumento compositus, sic statuit in regno pomeroio scientiarum virgulta concreescere ut viros ibidem in qualibet facultate peritos, non solum ut incolas filios, gratia proprie suavitatis imbueret, sed ad remotas et exterarum nationes de cisternis suis aquas effunderet labiis sitibundis. Sicque dum contigit in hiis cause munimenta deficere, ceperunt causata diminui, et tot regnum ex cultorum inopia sentire iacturas, ut impudenter rogare cogatur ab aliis quod habundanter solebat aliis erogare. Cupientes igitur super hoc, paternis inherendo vestigiis, tam predictorum gratam renovare memoriam, quam regnum ipsum gratis novitatis nostre primordiis decorare, universale studium in civitate Neapoli, consulta nuper deliberatione praehabita, praevidimus reformandum, ut civitatis locus profecto maris et terre fecunditate praeclarus ubi studendi congruentia se quevis habitant edificata in sapientia sibi domo et repletis in doctrina cellariis, docentium et adiscentium oculis se praebeat liberalem, ac velut mater fecunda gignasii, que videbatur iam ex desuetudine pariendi senescere, per doctrinale commercium ad puerperium iuvenescat, particularibus scolis ubique per regnum generaliter interdictis, excepto studio medicine in civitati Salerni, quod exerceri nobis placet ibidem, sicut praedicti patris nostri temporibus extitit consuetum. Ad quod tam celebre quam solenne convivium magistros quoslibet et scolares in qualibet facultate studentes libenter et hylariter invitamus, firmiter promittentes eisdem quod privilegia, libertates et bonos usus, quibus unquam temporibus felicis memorie domini patris nostri uti et gaudere sunt soliti, faciemus in studio ipso morantibus tenaciter observari. Quocirca fidelitati tue firmiter precipiendo mandamus quatenus sicut gratiam nostram diligis et honorem, statim praesens nostrae iussionis oraculum per civitates et loca singula iurisdictionis tue, ut nullus de ignorantia supremam materiam excusationis inveniatur, studeas publicare.

Mss. der R. Bibl. zu Paris, Epist. 8567, fol. 97 a. b. — Mitgetheilt durch Herrn Dr. Geiger. — Gedruft in Baluzii Miscell. I, 484.

XXI.

Incipit prologus in librum de morte Aristotelis peripatetici philosophorum principis gloriosissimi (1255?).

Cum homo creaturarum dignissima similitudo sit, omni ad ymaginem dei factus, et nobile propter ignobile sit creaturarum, sicut

nichil in eo notabilius estimatur quam se suumque creatorem cognoscere sic nec dampnabilius aliquid quam utrumque solum in sensibilibus deditus ignorare. Nam licet a primo qui omnem hominem venientem in hunc mundum illuminat et sui vultus lumine nos signavit, illuminationem prima et ultima relatione recipiat, ut ad deum fontem veri luminis finem suum ad instar solis qui oritur et occidit et ad locum suum revertitur, valeat pervenire, cum ita obscuritate subiecte coniugis impeditur, ex qua infirmitas omnis sibi corruptionis acquiritur ut terrene concupiscencie vitio deformatus iumentis similis nichil intelligit et cum honoris in eo proprii confusa memoria honorabilium electionis iudicium non admittat. Sed ignorantie caligine deius perfectionis ultime terminum, ad quem prope ducebat intentio non atingat, cum secundum scientiam et ignorantiam deo remotus sit aliquis aut propinquus unde qui ab erroris huius deuo releuetur et educatur, de corporis tenebrarum palpabili densitate vite viam inueniat a qua miserabiliter deuiarat atque ad lucem perspicue veritatis oculos tenebris assuetos atollat, eum doctrinarum humanarum splendoribus expedit illustrari, quibus sublimitatem summi et vniuersi cognoscat opificis, eum speculetur, attentione continua se nobilem et ignobilem existimet, vicia comprimat, ut vires corporis scientiarum transcendendo subsidio aptac(i)one virtutum fiat suo principio similis et indeficienter eternitatis solacio ponatur.

Pluribus quidem vitae via esset imperuia nisi sapientes demonstrationibus doctrinarum elimassent homini vicia veritatis lucernam ipsis in huius carcere corporis accendissent et se ipsos prebentes exemplum ad respuendum mortalia quorum est nulla stabilitas et honorandum et timendum deum alios adduxissent; inter homines plures a bestiis nil differentes quum ad voluptates licencius bestiali discurrerent appetitu; sed per hoc lubricitatem corporis, intenti virtutibus, freno didicere modestie castigare, ut dissolui jam mole corporea cupiant, mori non timeant et erecti de seculi fructibus nimio fulti probate securitatis priuilegio et felicitatis non dubie ad desiderii ad perfectionem eorum qualibet aviditate concurrant.

Quapropter nos Manfredus diui augusti imperatoris Friderici filius dei gracia princeps Tharentinus, honoris montis Sancti Angeli dominus et illustris regis Conradi secundi in regno Sycilie baiulus generalis humane fragilitatis casibus ob concordium elementorum discordiam quibus consistimus sicut et ceteri subiacentes, cum corpus nostrum grauis infirmitatis adeo molestia maceraret ut nulli de cetero posse corporaliter vivere crederemur et astantes ad nostras dolores multa

torqueret angustia nos ut ipsi timere de mortis imminetia extimabant; sed theologica philosophica documenta que imperiali aula diui augusti serenissimi imperatoris domini patris nostri(s) uenerabilium doctorum nos turba docuerat de natura mundi, fluxu corporum, animarum creatione, eternitate et perfectione ipsarum, de infirmitate materiarum firmitateque firmarum que naufragium uel defectum sue materie non secuntur, fixa mente gerentes, de nostra dissolucione non in tantum ut ipsorum herebat opinio, dolebamus, quamvis de nostre perfectionis premio possidendo non nostris inniteremur iustitie meritis sed soli uenie creatoris. Inter que nobis occurrit liber Aristotelis principis philosophorum, qui de Pomo dicitur, ab eo editus in exitu uite sue, in quo probat sapientes de ospicii lutei exitu non dolere, sed gaudentes ad perfectionis premium currere pro quo summis laboribus studiorum onera seculi penitus fugientes, tempus et vitam expendere minime pepercerunt; quibus astantibus diximus ut eum librum legerent, quia ibi coligerent nos uicium de huius transitu non metuere; quem librum, cum non inueniretur inter christianos, quoniam eum in ebraico legimus translalatum de arabico in ebreum, sanitate rehabita ad erudicionem multorum de hebrea lingua transtulimus in latinam, in quo a compilatore quedam recitabilia inseruntur. Nam dictum librum Aristoteles non notauit, sed notatus ab aliis extitit, qui causam hylaritatis sue mortis discere uoluerunt sicut in libri serie continetur.

Handschrift der Magdeburger Stadtbibliothek 134 Oct. 15 (e). — Mit Abweichungen gedruckt aus Biblioth. roy. de Paris, Mss. fonds St. Victor, 30, fol. 149 von Huillard-Brèholles, Monuments et Hist. des Normands etc., Note Quatrième.

XXII.

König Manfredi übersendet den Doctoren der Philosophie zu Paris als Geschenk mehrere Schriften des Aristoteles und anderer Philosophen, die er durch Gelehrte seines Hofes aus dem Arabischen und Griechischen in das Lateinische hat übertragen lassen, mit dem Wunsch, die Kenntniß derselben in ihren Auditorien zu verbreiten.

Sedentibus in quadrigis Philosophice discipline Parisiensis studii doctoribus universis Manfredus dei gratia etc.

In extollendis regie prefecture fastigiis, quibus congruenter officia leges et arma communicant necessaria fore credimus scientie

condimenta, ne per huius suavis et mulcebris ignorantiam commixture vires ultra licitos terminos effrenate lasciviant et iustitia citra debiti regulas diminuta languescat; hanc nos profecto, qui divina largitione populis presidemus, generali qua communes homines natura scire desiderant et speciali, qua gaudent aliqui voluntate proficere, ante suscepta regiminis nostri onera, semper a iuventute nostra quesivimus indefessi. Post Regni vero curas assumptas, quanquam operosa frequenter negotiorum turba nos distrahat et civilis igitur ratio vendicet, sollicitudinis nature partes, quicquid tamen temporis de rerum familiarium occupatione decerpimus, transire non patimur otiosum: sed totum in lectionis exercitatione gratuita libenter expendimus totum intelligentie, ut clarius vigeat instrumentum in acquisitione scientie, sine qua mortalium vita non regitur liberaliter erogamus. Dum librorum ergo volumina, quorum multifarie multisque modis distincta cyrographa, divitiarum nostrarum armaria locupletant, sedula meditatione revolvimus et accurata contemplatione pensamus, compilationes varie ab Aristotele aliisque philosophis sub Grecis Arabicisque vocabulis antiquitus edite, in sermocinalibus et mathematicis disciplinis nostris aliquando sensibus occurrerunt: quas adhuc originalium dictionum ordinatione consertas, et vetustarum vestium, quas eis etas prima contexerat, operimento contactas vel hominis defectus aut operis, ad Latine lingue notitiam non perduxit. Volentes igitur, ut reverenda tantorum operum senilis auctoritas apud nos non absque multorum comodis vocis organo traducere iuvenescat, ea per viros electos et utrique lingue prolatione peritos instanter duximus, verborum fideliter servata virginitate transferri. Quia vero scientiarum generosa possessio, in plures sparsa, non deperit et distributa per partes minorationis detrimenta non sentit, sed eo diurnius perpetuata senescit, quo publicata fecundius se diffundit, huius celare laboris emolumenta nolimus nec extimavimus nobis eandem retinere iocundum, nisi tanti boni nobiscum alios participes faceremus. Considerantes verum tamen, quorum conspectibus, quorumque iuditiis operis cepti primicie possent decentius deputari: ecce vobis potissime, velut philosophie praeclaris alumpnis, de quorum pectoribus promptuaria plena fluunt, libros aliquos, quos curiosum in studium translatorum et lingua iam potuit fidelis instruere, consulto providimus praesentandos. Vos igitur viri docti, qui de cisternis veteribus aquas novas prudenter educitis, qui fluentia melliflua sitiensibus labiis propinatis: libros ipsos, tanquam amici Regis exenium (exenium) gratanter excipite et ipsos antiquis philosophorum operi-

bus, qui vocis vestre ministeriis reviviscunt, quorumque nutritis famam, dum dogmata sternitis sapienter, ut expedit, congregantes eos in auditorio vestro, in quo virtutum grana fructificant, erroris rubigo consumitur et latentis scripturae veritas aperitur, tum mittentis favore commoniti, tum etiam clari transmissi operis meritis persuasi, ad communem utilitatem studentium et evidens fame vestre praeconium publicetis.

Mss. der R. Bibl. zu Paris, Epist. 8567, fol. 104b. Mitgetheilt durch Herrn Dr. Geiger. — Als Schreiben des Kaisers an die Scholaren von Bologna, mit Abweichungen, gedruckt in Petr. de Vineis III, 67.

XXIII.

König Manfredi meldet die Einsetzung seines Oheims Francesco Simplicio als General-Vicar in Toscana (1262).¹⁾

..... revocato nuper ad presentiam nostram Jordano de Anglano comite sancti Severini dilecto consobrino familiari fideli nostro pro servitiis nostris circa latus nostrum moraturo a quo novi matrimonii nuper per eum contracti gaudiis et solatiis potiatur, Franciscum Simplicem avunculum familiarem et fidelem nostrum, de cuius fide, legalitate et industria confidimus ab experto generalem vicarium nostrum ipsi provincie duximus statuendum et ad nos velut os de ossibus nostris et carnem de carne nostra tamquam nostre imaginarii visionis ilariter destinamus, ut provinciam ipsam in stato gubernans pacifico et reformans, universis filiis, maioribus et minoribus, quibus universalia iura succurrunt, iustitiae copiam debeat amministrare et fideles favore debito prosequet, ac et in statu tranquillo ordinet et disponat, cui merum et mixtum imperium concedentes et gladii potestatem volumus ut in facinorosos, devios et reos maxime qui strata et itinera publica violare presumpserint traducere velit et exercere gladium ultionis plenam et insuper auctoritatem committimus, ut loco et vice nostra exercere valeat iudices et tabelliones ut moris est et imperium consuevit.

Ungeedruckt. Ms. Bibl. Taurin. fol. 62. Mitgetheilt durch Herrn Claretta zu Turin. — Dönniges, Gesch. des deutsch. Kaiserth. I, 331, schreibt den Brief Konrad IV. zu. — Die dem eigentlichen Mandat vor-

¹⁾ Als solcher genannt Siena 1262, 3. Non. Aug. Camici 76.

ausgehende Begründung „Post mundi machinas — usque quod debemus ecce quod“ mußten wir bei der Incorrectheit der vorliegenden Abschrift, der auch durch Conjecturen nicht aufzuhelfen war, ausscheiden. Sie ist sachlich ohne Werth.

XXIV.

Die Florentiner Gibellinen melden dem König Manfredi, daß sie über die Guelfen und die Lucchesen, welche am 26. Septbr. unter dem Schein des Friedens die Stadt Florenz zu überrumpeln gedachten, gesiegt haben (1263).

Ne vulgaris fame perloquium, que, dilapsa per orbem, ex diversis et variis hominum voluntatibus multoties a veritate discedit, ad audientiam vestram, quam noviter in nostris partibus contigerit, deducat aliter quam rei veritas pretestatur, cur rei seriem vobis stilo veridico aperimus: quum Guelfi sacre regie maiestatis rebelles, videntes se ex assumptione mille militum, quos ad ipsorum reliquas contendendas universa societas fidelium Tuscie de novo stipendiabat, continuo in certis periculorum preparari apud . . . cum Teotonicis Lucensium et aliis, quos habere subsidiarios undique potuerunt, conveniunt in unum et disponentes sub novo malitie genere in spem simulate pacis cum omni prorsus essent potentia et viribus destituti, ad se mentes hominum revocare ceperunt; die XXVI Septembris instantis per stratam directe versus Florentiam cum legato falsis fratribus mulieribus et pueris, militie premissis crucibus, vociferando unanimiter pacem pacem dirigentes, qui pacifice congressus suos et ut pacis videntur auctores in itinerem neminem offendebant, credentes, ad se prius hominum voluntatibus revocatis, vobis propter hec surripere civitatem, sed nos ipsorum malignis calliditatibus volentes viriliter obviare, munita prius civitate, cum Florentina militia venimus contra illos, quibus visis, fecimus gentes nostros per acies ordinare extra civitatem per miliaria quinque, ut eis, si venissent, pacem possemus tribuere, quam ipsorum preconcepta dolositas exigebat; et sic, dum vidissent constantiam gentis nostre intrepidam ad suscipiendum eos, taliter, ut decebat, ad partes alias mutato proposito converterunt, hospitantes ea nocte apud Signam, que a civitate per miliaria septem distat, die namque sequenti, adveniente summo mane, domino Francisco Simplici, regio in Tuscia vicario generali, cum strenua militum comitiva, disposuimus hostiliter procedere contra eos et cum in pro-

cinctu itineris iam essemus, ecce supervenit nuntius Pisanorum referens et exorans instanter, quod Pisanos propere venientes ad communicandum nobiscum optate victoriae gloriam expectare, quibus advenientibus, predicti hostes, nostrum non attendentes insultum, per fuge subsidium providerunt. In quorum fuga, cum per diversa et varia loca divisim et varie recessissent, percurrores nostri equites, quos pro eis retardandis et retinendis premisimus, infeste prosequentes, ad dampna eis in personis et rebus controversiam intulerunt et plures ex eis cepit imbecillitas muliebris de ipsorum se spoliis induendo. Nos et terras nostras omnes ad honorem regium et amicorum salutem servamus illesas, amicis deinceps subsidium salutare et inimicis exterminium duce deo ultimum illaturi.

Ungebrüdt. Ms. Bibl. Taurin. fol. 61. — Mitgetheilt durch Herrn Claretta zu Turin. — Dönniges, Gesch. des deut. Kaiserthums, I, 330, glaubte diesen Brief Konrad IV. zuschreiben zu müssen.

XXV.

Papst Urban IV. beklagt sich gegen den Bischof von Narni, daß die Bewohner der Stadt das der römischen Kirche gehörige Castell St. Gemini an sich gerissen haben.

Urbanus episcopus servus servorum dei venerabili fratri episcopo Narniensi salutem et apostolicam benedictionem . . . nimis exercetur malicia plurimorum et in aliorum offensas eorum temeritas desevert si virga deficeret corigentii, expedit ut presidentis providencia castigetur temera presumpcio subditorum. Sane te novimus non latere nosque id non sine vehementi mentis turbacione referimus et acris doloris amaritudine precensemur qualiter Narnienses castrum sancti Gemini quod extitit Romane ecclesie speciale, quamquam propter singularem fidelitatis sue constantiam singularis apud nos benevolencie privilegium promeretur variis modis impetere ac pro posse dampnificare in personis et rebus presumpserunt hactenus nequiter et presumunt, illudque nituntur sue iurisdictioni subicere non sine apostolice sedis et nostra iniuria et contemptu. Quia vero tollerari non debet tante temeritatis audacia, quae sic in apertam vergit contumeliam dicte sedis, fraternitati tue per apostolica scripta in servitute obedientie etc.

Ungebrüdt. Aus der Nbedigerschen Handschrift des Petrus de Vineä, Elisabethbibl. zu Breslau, no. 47. fol. 31a.

XXVI.

Die Aretiner bitten den Papsst Alexander IV. bringend, ihnen einen anderen Bischof zu geben, da der jetzige sich mit den Feinden der Kirche, mit Ezzelin und dem Fürsten Apuliens verbunden, die Antianen von Arezzo gefangen genommen und die Rechte der Stadt veräußert habe.

Bonfilii, Sanctissimo patri et domino, domino Alexandro, Dei gratia sacrosancte romane ecclesie summo pontifici, Stuldus Berlingerii Jacobi potestas, Sani Uguicionis de Malaspinis capitaneus, antiani, universus populus, consilium et commune Aretii, ecclesie devoti fideles et seipsos omnes voluntarios et subnixos ad devota pedum oscula beatorum. Intolerabilis turbationis patibulum vi compulit hanc nostre conditionis nunciam conspectui vestro nos sereno destinasse, ut de nostri presulis qualitate mirabili themate sumpto vobis aliqua tam ob decus ecclesie, quam nostre adversitatis remedium stilo lacrimabili proferamus. Hic est a sui presulatus initio callidus institutor, scismatum et bellorum ylaris enutritor, partium civitatis nostre alteri hostiliter, contra reliquam suffragatus. Parte quidem, cui erat oppositus, devicta (prius ad infirmum cum eadem parte, postmodum quamprimo prostauerat), proditorie insurrexit in alteram prosternendam, ut exhaustis omnino partis vigoribus utriusque, dum unam cum favore alterius subculcaret, hoc modo finaliter universalis totius patriae dominus fieri letaretur. Fefellit eum tamen pro meritis spes indigna, quod omnibus factus odibilis, quorum extiterat inreconciliabilis persecutor, civibus, nec meruit dominare, nec potuit, ut sperabat. Qui toxica perfidie sue, tyrannidem perniciosam sibi didicerunt ab experto. Exinde temporibus mediis facinorosus ipse in quemlibet malignari non desinens modernis et e paucis retro temporibus sic se habet, quod factus intimus ecclesie inimicorum amicus Eccelinum Veronensem et Apulie principem habet sibi precipuos inter caros. Quorum, ut putat, militari presidio muniendus, totum malivole conceptionis suum propositum efficaciter consumari confidit. Eius tam illicitis motibus et processibus ex partibus nemo, Aretinum semper capitulum et illesa constantis cleri fidelitas resistere non destitit nec desistit. Ipse nuper (in populum sibi commissum inopinabili per dictos perpetrato) ambasiatores antianos Aretini communis ad eum sua petitione transmissos, quos duplici prius fidauerat instrumento, ausus est in comitatu nostro personaliter capere carceri eos detinens mancipatos. Vnus et quorum precipuus familiaris ipsius et generalis erat carcerum episcopalium advocatus: nunc non ut ecclesiam suo conservationi, substantem ultime

desolationi demandet. Ac per hoc inextricabile totius provincie scandalum gaudent(?) se ordiri. Jurium obtentorum sibi certam alienationem anxia sollicitatione procurat Perusinis, velut pro certo nouimus, faciendam, quorum iurium omnium quarta parte integra ab eodem episcopo communi nostre collata ipse partes omnes residuas eidem communi sic obligauit totaliter et subiecit, prout hoc melius et saniter nouerunt disponere sapientes, ut aliis iura predicta dari de jure vel alienari non valeant Aretini populi et capituli non obtenta licentia et concessa. Totque malorum, ne robur capiant, pontificalis dignitas dignetur obviare conatibus eisdem nostris presulis noxiis et iniustis petitionibus a sede apostolica non admissis. Nos enim, qui sub tanto animarum et corporum dubio fluimus, uerentes laqueum desperationis incurrere et aliquid digne agere non valere, dum pondere importabili premimur et incessabili turbine anxiamur, ad pie matris intuitum, ut videat et succurrat, devolvimus necessario causas nostras supplici voto poscentes, quatenus solita benignitate respicientes populum Aretinum tanti mali originem summovere dignemini fornituram, ut exinde rectore abusivo amoto, cui non est regere sed pellere populum in ruinam, alterius presulis succedat provisio melioris non ad pestem et jacturam, ut hactenus, sed ad pacem ulterius gubernandi populi et salutem.

Ungedruckt. Ms. Bibl. Taurin. fol. 46. Mitgetheilt durch Herrn Claretta zu Turin. — Angeführt von Dönniges, Gesch. d. deut. Kaiserthums I, 319.

XXVII.

Manfredi giebt einem Freunde, der sich vom fürstlichen Hofe nach Calabria begeben hat, Nachricht von seinem Wohlbefinden und dem glücklichen Stande seiner Angelegenheiten. Manfredus etc. C de . . familiari suo.

Credimus, ut inter alias desiderii tui metas, de sospicatis nostre proventibus nova continue sedulus appetas et curiosus expectes, cum sicut longo iam temporum(?) experimento, et probabili rerum argumento didicimus, sic erga nos tibi fides et amor mutua se pactione communicant: ut ex uno velis amare quod volumus et ex altero debeas exequi quod amamus sicque votivus audire desideres, de persone nostre prosperitate quod placeat, et de felicitatis eventu, devotus accipere, quod delectet. Quantumvis enim a persone nostre vicinitate secesseris et domesticis forte deliciis inniteris, nostra tenaciter habet

opinio, quod tuum semper ubilibet suppleat rumor, de nostra prosperitate convivium, et corpore translatus ad Calabres, videaris mente cum aulicis circa (?) lateris nostri servicia remansisse. Ut cupidis igitur tue devocionis affectibus satisfiat presencium lectione percipias, quod superna nobis favente clementia, incolumitatis corpore beneficio fruimur, animum undique successuum alacritate componimus et prosperitatis optabilis crebris hinc inde rumoribus renovamus, sic pascentes gratificis exteriora nostra solatiis,¹⁾ ut jocis seria mixta complaceant, et interiora frequenter, cum expedit, meditationis accurate consilii foveamus.

Unge druck t. Mss. Der R. Bibl. zu Paris, Epistolae 8567, fol. 73 a. — Mitgetheilt durch Herrn Dr. Geiger.

XXVIII.

Trostschreiben Manfredis an zwei Getreue.

Manfredus etc. fidelibus suis.²⁾

Non sine quodam compassionis affectu nuper audivimus, quod equantis omnia mentis impietas novis ictibus vestra communiter pectora feriens, singulariter utriusque animam vulneravit dum in altero pueriles annos filii nimis intempestiva falce presecuit et in reliquo genialis thori coniugium irreparabili laceratione dissolvit. Certa data cuilibet occasione dolendi, ut et pater habeat de filii amissione, quod lugeat et maritus in carnis uxorie decisione quod ploret vel habeat alter fratrem promiscuis actibus de perduto nepote quod doleat et alter de mortua cognata, quid gemat. Sic igitur vobis dolore depressis affectuose compatimur et si casus huiusmodi humano posset reparari suffragio libenter reparationis oportune remedia mitteremus. Sed cum restaurationis extrinsece respuat medicinam, consolationis vobis porrigimus lenimenta, mandantes, quatenus in nobis exemplum, materia praecipue confortationis assumpta: paterni iacturam vulneris grata natorum superstitem possessio mitiget et in maritalis sollicitudine lateris spem fortis animi bonique consilii fidutia recomponat.

Unge druck t. Mss. d. R. Bibl. zu Paris, Ep. 8567, fol. 96 b. — Mitgetheilt durch Herrn Dr. Geiger.

¹⁾ Vor ut eine kleine Rasur.

²⁾ Am Rande: De consolatione.

XXIX.

Fragment eines Mandates König Manfreds, betreffend die Einsetzung eines Vicars.

Manfredus . . . Comiti Pisarum per Nicolaum de Rocca.

Libertas arbitrii desuper infusa mortalibus ex usus inconsulta lascivia sic humane nature fragiles inebriavit affectus, sic traddite sibi felicitatis universalis circumscripsit, ut primi parentis actus illicitus ex mandati dominici praevaricatione lasciviens, non solum transgressoris personam inficeret sed ex ipsius veteris commixtione fermenti totius generis commaculata posteritas proclivis ad culpam, cotidie defluat et nature corrupte originalia machinamenta deploret: sic igitur homo creaturarum dignissima, fragilitate carnis traduce, profusus ad vitia, dum substantiali differentia rationis, per quam a brutorum communiione secernitur, per se non potuit ab illicitis coherceri, ne ipsius effrenata cupiditas promiscuis actibus in evidens sui exitium redundaret, prospiciens dominus ab excelso, regnantium solia clementer erexit in populis et ministros iustitiae provide praefecit in terris. Inter quos ad regie fortune fastigium nobis divina gratia favente vocatis interest cura praecipua et sollicitudo propensior qualiter subditis nostro regimini gentibus sic pacis et iustitiae copiam ministremus, ut nostrorum turba fidelium sub dominii nostri pacifica tranquillitate congaudeat et formidato supplicio peccandi facilitas sceleribus praecludatur. Considerantes verumtamen, quod in regionibus singulis, quas nostre potentiae fovet auctoritas, — quantacumque nobis dilectionis caritate prae luceant, et eas corde semper et animo contemplamur, — personaliter interesse nequimus, viros industrios, quorum consiliis rerum salubria geruntur officia, qui absentiam nostram ubilibet suppleant et nostre serenitatis ymaginem repraesentent, deliberato consilio providimus deputandos. Eapropter confisi etc. fiat in forma, que incipit: de corrupti parentis primi convitio etc. que alibi habetur. ¹⁾

Ungebrucht. Mss. der R. Bibl. zu Paris, Ep. 8567. fol. 106 b. 107 a. — Mitgetheilt durch Herrn Dr. Geiger.

¹⁾ Vgl. Urf. V.

XXX.

Papst Clemens IV. bannt den Raynerius de Pazzis und den Squarcialupus de Sofena und deren Genossen, die die an die römische Curie geschickte Gesandtschaft des Königs Alphons von Castilien in Toscana überfielen und den Führer derselben, den Bischof von Silva, ermordeten (1267 Dezember).

Clemens episcopus etc. Ad certitudinem presentium et memoriam futurorum. Nefandum et horribile facinus preteritis diebus in Tuscie partibus viris sanguinum perpetratum voce publica non sine mentis amaritudine recolentes, ad illud puniendum cum pena gravior vix sufficiat, ad vindictam eo fervenciori attentione procedimus, quo tanti patrati sceleris et in dei maiorem contumeliam et offensam apostolice sedis in iniuriam plurimorum et scandallum redundavit. Cum enim bone memorie Silvanensis episcopus et dilectus filius decanus et archidiaconus Salamantinus, quidam Analdus miles et nonnulli alii de curia et familiis eorum clerici et layci per Thusciam transitum facerent, ad eandem sedem pro certis negotiis accessuri damnationis filii Raynerius de Pazzis et Squarcialupus de Sofena et multi satellites et complices eorundem equites et pedites, illorum presentientes adventum, positis secus iter insidiis, dei amore postposito, et debito prorsus humanitatis excluso, in episcopum et alios predictos immaniter irruerunt et eos, paucis exceptis, quorum aliqui evaserunt fuge presidio, quidam vero, qui afflictis vulneribus fuerant quasi mortui derelicti, et aliqui concaptivati, spoliis eorum depredationi deditis, miserabiliter cede crudelissima trucidaverunt. Ut igitur pro tam pernicioso et detestabili crimine, sicut extitit, severitatis qualitate gravissimum, patratores ipsius premat asperitas ultionis et penarum honera posteris transeant in exemplum, castra, villas et loca predictorum malefactorum, et alia, in quibus se tempore patrati sceleris receptaverunt, perpetue municipii et universitatis iure privamus, ita quod deserta iaceant habitatione, nullis unquam temporibus habitanda, ipsaque remaneant in perpetuo ecclesiastico supposita interdicto: nec aliquis sacerdos vel clericus in illis remanere presummat, vel ad ecclesiasticum ordinem pertinens exercere, habitare quoque presumentibus in locis eisdem nostra taliter animadversione dampnatis in vita vel in morte, nisi dictorum locorum habitationem abiurent, sacramenta ecclesiastica non prestentur; et iura dictarum ecclesiarum aliis assignentur ecclesiis, prout diocesani locorum, vel alii, ad quos spectaverint, duxerint ordinandum. Dictos autem sacrilegos et generaliter

omnes, qui ad hec dederunt opem, operam, consilium, vel favorem, denunciamus excommunicationis sententie subiacere, ac nichilominus excommunicamus et anathematizamus eosdem; nec ab aliquibus absolvi valeant in mortis periculo nisi dictorum locorum habitationem loquela vel saltem nutu si loqui non poterunt duxerint abiurandam. Quod si absolvi contingerit et sic absoluti ad eadem loca redire presumpserint vel etiam sanitate recepta sedi apostolice se non presentaverint intra mensem satisfactori, de dampnis et iniuriis iuxta mandatum apostolicum et romani pontificis ipso facto in predictam sententiam relabantur; nullus quoque poenitentiarius noster vel alius cui data fuerit potestas a nobis vel predecessoribus nostris ab iniectioe manuum absolvendi possit tales absolvere vel aliquem de predicti sine mandato vel licentia sedis apostolice speciali. Prefatos insuper cedis actores et successores eorum omnibus iuribus, que obtinent in predictorum locorum ecclesiis et aliis quibuscunque, sive sint advocati sive protonatus perpetuo apostolica auctoritate privamus. Cetera vero eorum bona immobilia, quibus similiter privamus, eosdem, si ab imperio vel ab aliquibus aliis tenentur in feudum, et vel eos, nisi et ipsi fuerint participes criminis, maneant confiscata. Quorum malefactorum personas citra mortis et mutilationis periculum et bona mobilia eorundem quibuslibet (fidelibus exponimus impune ac libere capienda, preterea omnes qui malefactores eosdem)¹⁾ receperint, vel qui eis in quocunque negotio scienter dederint consilium, auxilium vel favorem, hiis dumtaxat, que ad salutem anime pertinerent, ipsorum excommunicationis sententia innodamus. Ceterum fratres, filios et nepotes eorum et omnes ex eis, ex quocunque latere descendentes, usque ad quartam generationem, si clerici fuerint, privamus eos ecclesiasticis beneficiis, habitis et reddimus inhabiles ad habenda. Statuentes ut qui nondum sunt insigniti caractere milicie clericalis ordinis nullatenus ascribantur.

Aus der Rhedigerschen Handschrift des Petrus de Vinea, Elisabethbibl. zu Breslau, no. 47. fol. 47 a. — Zum Theil gedruckt in Rayn. Annal. eccles. 1267. §. 20. Vollständig, doch fehlerhaft, Bzovius Annal. eccles. XIII, 730.

¹⁾ Die eingeklammerten Worte stehen am Rande.

XXXI.

Schreiben Konradins an König Karl von Sicilien, 1268.

Conradinus natus e semine regis Coradi Karolo dicto regi Sicilie Salutem, Inrationale animal revertitur ad cubile: petit avis, nisi depulsa fuerit, suum nidum. Ratio quoque naturalis exposcit neminem cum iactura alterius fieri locupletem. Nam si infra armarium sue mentis vestra consideraret humanitas, in solo non peragraret alterius alieno, recederet ad partes Gallicas, in Fulcone, Andegavia, ac comitatu Provincie more solito perseverans. Quippe non ignorat Liguria, patet Latio universo et testari plurime nationes valerent, quod Federicus secundus, et alii nostrive maiores dive memorie regnum Sicilie ducatusque Apulie, terramque Laboris in ea fuerunt plenum dominium obtinentes; nempe nostra prosapia generosa numquam edis Francie derogavit honori, sed in suis transfretationibus sibi detulit decus, et servitia multipliciter pro nexibus grandiora. Quorum omnium vos immemores nostrum patrimonium invasistis. Denunciamus itaque vobis pro visionem presentium, quod sterna equos celeriter facientes ad partes Gallicas recedatis, meditantes, quod quilibet debet sua iurisdictione contentus, et aliena nullatenus usurpare, alioquin ante festum beati Bartolomei micantes (?) nostros victrices aquilas poteritis intueri, ve illis rutilantibus, et flammearum ensium ictus Alamanie sentietis adeo duriores, quod perhenniter cervicem vos oportebit portare declivem liberis magni Cesaris et Augusti. Anno M^oCCC^oLXVIII.

Ungebrücht. Ex cod. ms. ad bibl. s. Marci Venet. (Mss. lat. XI, 84, fol. 50). Mitgetheilt durch Herrn Dr. J. Valentinelli, Vorstand der Markusbibl. zu Venedig. — Daß dieses und das folgende, gleichfalls incorrecte Schreiben Stilproben sind, bedarf keines weiteren Beweises.

XXXII.

Antwort König Karls.

Carolus dei gratia rex Sicilie, ducatus Apulie, principatus Capue, Andegavie, Provincie, Alme Urbis senator, Folchachem comes et per sanctam Romanam ecclesiam vicarius generalis Coradino nato similimo Haberemus lacus, imitaremus caniculos et lateremus in antro, et foret in nobis me territus leporinus. Nimirum canitur cansionibus et veris legitur in scripturis, quod ex stirpe nostra

fuit Karolus imperator, et alii Palatini, quibus primordialiter celestis abtudo consilii imperium prebuit, et coronam et ad instar primitivi roboris Christi vicarius constitutus in terris nos regali diademate decoravit, et sumus in regia majestate Fulconam, Andegaviam ac comitatum Provincie retinentes. Quippe non sumus arundo palundina, que vento modico agitatur. Sed sancte matris ecclesie defensator, ut nostri fuere maiores, qui Germaniam convicerunt, et Africam et alias innumerosas provincias victoriis ac celesti numine prestitis, israelliticam atque paganos ad orthodoxum tramitem reducentes. Re quid refertur in sacris canonibus in tempore quodam orto inter romanam ecclesiam et nostram regalem domum vestri satellizantes regnum Sicilie, ducatum Apulie, terramque Laboris et alias terras, quas ad vos dicitur pertinere indebite occuparunt. Sed si male ablata . . . restituatur exultare debetis tartareas penas vitaturi. Desinatis itaque adversus nos fulminare ulterius et nobis infideliter consulentes contineant omni ambiguitate remota, quod si per(?) apostolice sedis auctoritas vestre largiri consenserit equitando secedemus ante ambitum voluntati nullatenus obviantes, sed in agone velut Christi pugil stabimus athleta et si vestre aquile coram nobis adire presumpserint, abscisis alis, nostris omnimode privabantur, et si enses Teonicos temptabitis clavis gallicis more solito conteremus in timpanis et organis triumphantes. Nam divini roboris brachio coaiuti sibi cuncta subiciunt, hostes adversus eos nequeunt convalere, deficient velut fumus et tanquam nebule disperguntur.

Ungebruct. Ex codice ms. ad bibl. s. Marci Venetia. (Mss. Cal. XI, 84, f. 50—51.) Mitgetheilt durch Herrn Dr. J. Valentinelli, Vorstand der Markusbibliothek zu Venedig.

XXXIII.

Chronicon Italicum.

Ungebruct. Aus der Kopenhagener Handschrift. Neue K. S. fol. no. 146. — Cf. Archiv f. ältere deut. Geschichtskunde, Bd. VII, 674.

Fol. 66. Fridericus festo B. Luciae in regno moritur morbo; anno aetatis eius 57; relictis Conrado legitimo et duobus liberis ex Henrico, qui carcere suo mortuus est; et Heintio naturali, incluso Bononiae; et Manfredo principe Tarentino naturali, qui mox fraude regnavit in Sicilia et aliis non legitimis, sexus promiscui.

Vacavit itaque imperium circiter annos 24, usque ad tempora Gregorii 10; qui concilium congregavit Lugduni. Innocentius papa, festo B. Francisci, mense Octobris, veniens Lugduno per Januam, et mox per Mantuam, venit per Padum Ferrariam et ibi ea die populo predicavit.

Eo anno Conradus rex, Friderici filius, de Allemannia in Apuliam rediit.

Gregorius de Monte longo, Aquilegii patriarcha ordinatur.

Anno 1254, Calendis Junii, moritur Conradus veneno. Hoc anno moritur Innocentius papa. Alexander 4, papa ordinatur, qui sedit annos 6 et menses 5, qui b. Claram canonizavit.

Ezelinus de Romano Mantuam obsedit, nec obtinuit. Quo obsidente eam, Philippus, Ravennas archiepiscopus, legatus ecclesiae, cum exercitu cruce-signatorum et aliis Paduam male defensam cepit. Nam tunc 11,000 Paduani erant cum Ezelino; quos omnes ferro, igne et carcere consumpsit. Festo b. Simonis apostoli mari magna tempestas; classis . . ? . . cum viris et opibus eo portu perierunt (sic).

Eodem anno Philippus legatus ecclesiae, proditione Brixiensium, apud Turisellos captus, Ezelino traditur, quem carcere tenuit, nec occidit.

Ipsa quoque anno, Veneti Januenses mari superant et turres eorum, quas in Ancona habebant, funditus evertunt. Veneti castellum construunt de roboribus, secus Padum, loco qui dicitur ad s. Adelbertum, agro Ravennensi. Eo anno magna hominum interitio.

Acursus Tuschus natione, de Florentia; et Odofredus Bononiensis, illustres iuris periti, et legum commentatores, per haec tempora agnoscuntur. Qui mortui Bononiae apud Minorum ecclesiam, pulchris mauseolis, optimis pyramidibus requiescunt.

Capitur Ezelinus de Romano, apud fluvium Adduam, et post, modico vulneratus iam in captione moritur, et sepelitur in Castello.

Fol. 67. Albericus, frater Ezelini, qui sevam in Tervisio tyrannidem fecerat, a Paduanis, Tervisinis et Vicentinis, castello s. Zenonis obsessus, a suis traditur: tres eius filii primo trucidati; uxor igne cremata est: ipse postea tantae cladis expectator, gladiis laceratus.

Eo anno per Italiam mira novitas fuit, quae dicta est verberamentum. Nam populi nudi bini longo agmine per suas urbes ibant, loribus terga verberantes; eo paces multae factae sunt.

Urbanus 4, papa ordinatur, qui sedit annos 3, mensem 1, et ultra. Hic concilio cardinalium contra Manfredum regnantem in Sicilia, convocavit Carolum fratrem regis Franciae.

Florentini et Lucenses apud Montem apertum non longe a Sena, ab ipsis Senensibus magnam cladem senserunt, dolo plurimorum exercitus Florentini.

Eo anno Baldwinus imperator et Veneti urbe Constantinopoli pelluntur. Ipso anno Ferrariae magna seditio.

Ubaldinus de Fontana cum aliis res novas moliens, ea urbe secessit, alii capti.

Rex Hispaniae Alphonsus proelio proterit Saracenos. Azo, marchio Estensis, Ferrariae moritur.

Eo anno seditio Mutinae, festo s. Luciae. Grasultorum pars urbe ea extrusi sunt, anno eodem Clemens 4. papa ordinatur, qui sedit annos 4, menses 9 et dies 21. (?) Hic primum iuris peritus in coniugio cum liberis fuit: mox factus clericus, archiepiscopus Narbonensis: postea cardinalis, Sabinensis fuit episcopus: ultimo absens papa electus. Vir multum prudens et pontificatu dignissimus.

Magna hominum mortalitas in Italia.

Carolus comes Provinciae, Ludovici regis Franciae frater, mense Januario, navi per mare vocatus ab ecclesia Romana et tradito sibi regno Siciliae, Romam venit modico comitatu.

Stella cometa eo anno, mens. sept. diu apparuit; quam pluries vidi ante lucem.

Eo anno, mense decembri, exercitus Francorum duce comite Flandriae, genero Caroli, per Ferrariam transivit Bononiam et ad Carolum pervenit in Urbem.

Anno Christi 1266 primo, secunda feria, Martii, commissum est proelium agro Beneventano, inter Manfredum, Sicilie regem et Carolum, regem eiusdem regni, eo proelio occiditur Manfredus: Carolus statim eo regno potitus est. Manfredus tumulo apud pontem s. Germani conditus est Caroli iussu.

Anno 1267 autumnno, Conradus Conradi filius, filii Friderici, quondam imperatoris, Veronam venit exercitu Germanorum: tunc ea hyeme Carolus rex obsedit oppidum quod dicitur Podium Bonici quod diu obsessum pacto in deditionem accepit princeps; Gibelini qui inclusi erant cum omni comitatu et rebus abscesserunt incolumes.

Fol. 68. Eo anno Cremonae rerum mutatio; pars ecclesiae recepta pace est.

Bosius, princeps adversi partis, et complices urbe emissi sunt mandato legati.

Ipsa anno die resurrectionis domini Florentiae seditione orta Guelfi Gibellinos expulerunt.

Anno Christi 1268 Conradus, proles Frederici imperatoris cum Teutonicis, Lucchis, Romanis et Lombardis proelium conseruit cum Carolo rege, certantes de regno Siciliae, quod alter possidebat datum ab ecclesia, alter repetebat ut juris aviti et patritii; Carolus cruenta suorum victoria in proelio praevaluit.

Henricus frater regis Hispaniae, Urbis tunc senator, captus. Conradus inde discessit et cum paucis tentans intrare regnum, quod pro magna parte a Carolo desciverat, mare navi ingressus capitur et Carolo traditur; adducto autem Conrado Neapolim, ibi Carolus contra eum sententiam capitalem tulit; et decapitatus in littore cum duce Austriae et aliis quibusdam proceribus, pariter secus mare tumulo conditi sunt.

XXXIV.

Ungeedruckt. Aus der Kopenhagener Handschrift Arn. Magn. Sammlung der Universitäts-Bibliothek. no. 830. 4to aus dem Ende des 15. Jahrh. S. Archiv f. ältere deut. Geschichtsfunde Bd. VII, S. 672.¹⁾

Anno domini 1250 Fredericus secundus imperator moritur. Anno quarto post mortem Frederici Conrardus filius eius pater Conrardini moritur.

Anno 1254 mortuo rege Conrardo filio Frederici imperatoris succedit Conrardus filius eius, quem Longobardi nominant Conrardinum, contra quem Karolus predictus vna cum auxilio pape congreg-

¹⁾ Vor den mit dem Jahre 1170 beginnenden Annalen steht die Bemerkung: Sequentia quae contigerunt temporibus Frederici christianissimi imperatoris eiusque sequacium sumpta et transcripta sunt ex quodam antiquissimo libro, qui iam pro sua vetustate vix existit legibilis; discerptus enim erat ac proiectus veluti mutilis. Den Annalen geht voraus die Geschichte der Staufer aus des Aeneas Sylvius historia rerum Friderici III.

ditur et prima facie papa cum Karolo a Conrardino vincitur; post bellum Theutonicis, qui cum Conrardino erant prede et spolijs inhiantibus repente Karolus cum suis recuperata manu irruit et improvise Conrardinum capit cum pluribus¹⁾ de suis. Conrardinus iste pulcherimus ut Absolon consilio pape ob invidiam Theutonici nominis et propter Frederici, avi sui a Karolo cum pluribus comitibus et nobilibus Alamannis crudeliter decollatur, in quo defecit genealogia Frederici imperatoris.

Mortuo rege Henrico Raspe Willekinus sive Wilhelmus comes Hollandie in regem eligitur. Qui Frisones cupiens subiugare ab eis occiditur anno domini 1256. Anno 1257 occiso iam Willekino principes omnes excepto Arnoldo archiepiscopo Treverensi Richardum fratrem regis Anglie in regem eligunt. Qui veniens cum infinito thesauro principes et barones terre magis pecunia quam vi sibi servire coegit. Solus Arnoldus Treverensis archiepiscopus Alphonsum regem Hispanie eligens solemnes nuncios mittit, sed Alphonsus vel contempnens vel non curans Romanum imperium nuncios magnis muneribus donatos remisit promittens se venturum non tamen venit. Richardus autem deficiente pecunia cum uxore sua domina de Valkinburg, quam propter excellentem suam pulchritudinem duxerat in Angliam redijt, ibique vitam finivit. Imperium vsque ad tempora Rudolphi regis vacabat.

1) Am Ende des Blattes.